

 Kd
661

Be. 152.



HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM

AD

SERVITVVM PERTINENTIVM

ADIVNCTIVM COMPARATIONE

ET DIFFERENTIA

ET ALIIS REBUS

SCRIPTA

PHILOSOPHOVM OBIDIUM AVCTORITATE

AD XXXIUM A. S. MCMXXIII

SCRIPTA

SCRIPTA

PHILOSOPHOVM OBIDIUM AVCTORITATE

AD XXXIUM A. S. MCMXXIII

SCRIPTA

PHILOSOPHOVM OBIDIUM AVCTORITATE

AD XXXIUM A. S. MCMXXIII

SCRIPTA





HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM
AD
SEPVLTVRAS PERTINENTIVM
ADIVNCTA EARVM COMPARATIONE
CVM PATRIIS INSTITVTIS
SPECIMEN PRIMVM

AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

DIE XXX IVLII A. C. CIOCCCLXXXIII

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTHELF HÜBNER

PHILOSOPHIAE DOCTOR. ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS VTRIVS-
QVE BACCALAVREVS

A D S V M T O S O C I O

BENIAMIN TRAVGOTT HÜBNER

IVRIS STUDIOSO

LIPSI AE
EX OFFICINA SOMMERIA.

HISTORIA
LEGM BOMANVM

AD

SEPTVNAS PERTINENTIVM

AGLYNOTA EARVM BONARVM

QVM PATRIBVS INVENTIS

SPEDIMVS TRINVM

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

PHILOSOPHIA

CHARITATIS

UNIVERSITÄT

1800

1800

1800

1800



PROE M I V M.

Perferutanti mihi nuper, cum ad titulum Digestorum de religio-
sis et sumtibus funerum scholis priuatis explicandum essem delatus,
legum et institutorum circa sepulturas vetustiorum aequae ac recen-
tiorum varietatem et rationes, ea se cogitatio obtulit, multa multis
quidem in libellis vniuerse de his rebus ab antiquarum rerum cultoribus
et Iuris nostri studiosis esse adnotata et animaduersa, nondum
tamen, quod equidem sciam, peculiarem extare libellum, vbi totum
hoc argumentum ita esset discussum atque tractatum, vt simul
pristina instituta atque mores cum nostris ita forent collati, quo,
quidnam praeclare apud veteres et nostrae aetatis homines et pru-
denter fuerit institutum et quid secus, quinam mores naturae et
ciuili prudentiae propius accedant, pristini, an nostri, cognosci
atque intelligi posset. Nam qui in ritibus antiquae aetatis
describendis auctoritate multum valent, ¹⁾ *Iac. Gutherius*
Florian Dulphus, et *Onuphrius Panvinius* vt alios praetermit-
tam, etsi non sine diligentiae laude multum congesserint
materiae ad ipsam rem satis perspiciendam: nequaquam

1) *Florian Dulphus* de sepulturis, epita-
phiis et defunctorum monumentis. Bonon.
1641. 4.

Iac. Gutherius de iure Manium libri tres.
Par. 1615. 4.

Onuphrius Panvinius de ritu sepeliendi
mortuos apud veteres Christianos. Low.
1672. quibus add.

Iac. Godofredus de cenotaphiis in Tom
III. thes. Ottou. p. 333. et *Kirchmannus*
de funeribus Romanorum

Mensius de funere Romanorum Hag.
1604. 4. Aliorum ingentem cumulum ex-
hibent *Lippenius* in biblioth. iurid. et
ejus editores.

tamen legum et morum priscorum seriem ita ante oculos posuisse videntur, vt certum de illis rebus iudicium ferri possit. Itaque non inutilem laborem et prorsus contemnendum me esse suscepturum existimaui, si, oblata mihi scribendi opportunitate, de hoc nostri iuris loco ita disputarem, vt, enarratis legum ad sepulturas pertinentium, originibus, progressibus, et successibus, in illarum rationem sic inquirerem vt, sintne illae ad salutem civium summam conditae, annon, satis constaret. Quae quidem rationes materiarum iuris tractandarum non separandae sed coniungendae mihi videntur. Alteram enim, qua in exponendo iuris loco ad vltimam antiquitatem recurritur et mutationes et vicissitudines legum demonstrantur, vti quisque Iuris Consultissimus et legum interpretes optimus audiebat, ita maxime, cum ob insignem suauitatem, ex antiqui temporis memoria diligenter inuestigata oriundam; tum ob summam ad iuris recentissimi rationes melius intelligendas vtilitatem, non solum verbis et oratione commendare, sed vel exemplis clarissimis probare solebat. De altera vero, quod Lilius dixit, meum facere possum, illud, *praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum esse, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, copias.*

Comparatio deinde eiusmodi, qua rite instituta facili negotio intelligi potest nostrarum legum optimarum praesentia, quae ex multis inde seculis admiratione et laudatione dignae sunt habitae ab exteris; quoniam nostri legis latores summitalia scita sanxerunt, quibus susceptis et conseruatis ciuium salus, ciuitatis incolumitas et omnium vita quieta et beata promouetur; quin ad patriae, vbi nati sumus et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus, amorem et caritatem excitandam et alendam multum faciat, fieri sane non potest. Causarum certo, ob quas patria nostra summum in modum a nobis diligere, amari, coli debet, illa mihi non minima fuit visa, quod apud nos legum optimarum atque ad naturam omnium rerum principem expressarum nec ab aliis gentibus solum sed ab ipsis etiam nostris profectarum numerum

fatis amplum deprehendere mihi viderer, quarum vinculis ob-
frictum teneri non seruitutem sed summam adeo libertatem esse
mihi persuasissimum fuit. De me autem, cum non ita audax
sim et gloriosus, vt me novi aliquid in lucem protraxisse, pessimo
errore et vix excusando mihi persvaserim, id quod a me, iuvene
nimirum, cuius ea est fortuna, vt victus ante sit quaerendus diur-
nis laboribus, quam gratus vesper eum ad litterarum sacra admit-
tat, ne expectari quidem potest, et cum non eorum solum qui
pro ingenii acumine et doctrinae vbertate, novis rebus multis
excogitatis, iuris disciplinae multum lucis affundunt, studia iusta
laude sint prosequenda sed etiam eorum labor, qui, cum ipsi natura
parum valent, aliorum studia in suos vsus convertunt, non plane
aspernandus videatur; me huius rei veniam apud viros eruditos
et aequos iuuenilis diligentiae speciminum aestimatores, facile
consecuturum spero.

HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM
AD
SEPVLTVRAS PERTINENTIVM
ADIVNCTA EARVM COMPARATIONE CVM PATRIIS INSTITVTIS
SPECIMEN PRIMVM
IN QVO DISSERITVR
DE LOCIS SEPVLTVRAE DESTINATIS

Sepulchrorum religionem et sanctitatem esse negare non possumus uti apud omnes fere priscas gentes sic in primis apud Romanos ¹⁾ summam fuisse, illam tamen non cum *Heineccio* ²⁾ et aliis e consecratione quadam Diis inferis facta et dedicatione, quae sicut nullo modo ex antiquorum monumentorum fide certo satis demonstrari potest, ita aperte veterum Classicorum, mortui illatione sola, nulla consecratione accedente verborumque solennitate, religione quadam loca imbui docentium, testimoniis ³⁾ re-

1) Reverentiae huic apud Romanos sepulchris habitae, privilegiorum illis indulgentiorum amplitudo debetur, cum sepulchri violatio duplici actione alia civili, alia criminali eaque populari coerceretur, nec, si quid religiosi iuris esset, eius aliquid veniret l. 22. et 72. §. 1. ff. de contrah. emtione l. 12 §. 1. ff. de relig. nec liceret de functorum corpora ex sepulchro, tanquam aeterna et perpetua sua domo nisi impetrata a Pontificibus vel Principe venia

extrahere l. 1. l. 8. l. 33. ff. de relig. *Pianus* Epp. l. x. ep. 73. et 74. et in alium locum transferre aut inferre extra sacra et gentem *Cic.* de legg. Lib. 2.

2) *Antiquit. Romm.* p. m. 417. et *ad l. et ad D. ff. II.*

3) *Leyser* ad *π.* spec 22. med. 1. *Perizon.* ad *Sanctii Mineram* p. 750. *E. Otto* ad l. p. m. 169. l. 6. D. de divis. rer. l. 2. §. 2. de relig. Quod enim *Ci.*

pugnat, sed potius ab illa omnium mentibus impressa et quasi innata opinione profectam esse censeo, qua, praeceuntibus sacerdotibus iisdemque poetis, mortem non esse interitum omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae ut *Ciceronis* verbis utar, 4) in claris viris et foeminis dux in coelum esse solet, sibi persuaferant et quod mortuorum animos credebant ea loca circumuolare ubi corpus vel caput conditum iaceret. Ipsi exinde solo et glebae iniectae, non autem monumentis, pyramidibus, columnis, titulis ad breue tempus duraturis sanctitatem quandam inesse existimant. 5) Graecae enim gentes, a quibus omnis fere religio, Deorumque cum superiorum tum inferiorum colendorum ratio et ritus in urbem Romam immigrauerunt, quod in sepulturae honore expectando et concedendo tanta tenebantur religione, ut sepulchra ad honorem familiarum et defunctorum memoriam inuiolabilia haberi, omnesque probos bonosque, cum vita essent defuncti, terrae mandare voluerint nec ali quem insepultum iacere sint passi, quid? quod legibus, 6) sicut de Atheniensibus testatur *Aelianus*, vi, si quis in hominem insepultum inciderit, πάντως ἐπὶ βάλαντον αὐτῷ γῆν constituerint, illius rei causa in eo quaerenda videtur, quod poetae antiquissimis temporibus et sacerdotes, cum nollent foeto odore ex cadaveribus inhumatis exhalato aera conspurcari atque infici et putrescentium corporum teterrimo aspectu horrorem naturae humanae moueri, animam sede sua relicta non prorsus

tero de legg. Lib. 2. c. 9. *Livius*, lib. 1. c. 20. *Virgilius* Aeneid. lib. 4. v. 34. de Diis Manibus et de iure Deorum Manium dicunt, id non nos mouere debet, ut ab iis omnem sepulchrorum religionem tanquam ex fonte deriuemus, partim, cum Diis Manes nunc nihil aliud nisi spiritus et defunctorum umbras, εἰδωλα, nunc omnes inferos Deos significant, partim consecratio nulla, nullis praesentibus Pontificibus fieri poterit; nulla enim consecratio fuit

privata nec sacra privata locum reddebant sacrum, l. 6. v. 3. D. de Divis. rerum religiofum vero mortui illatione suum locum facere, nemini, licet privato, privata auctoritate, prohibitum legimus. Vid. Car. Chr. Woog diff. ex histor. romana de hereditate sacrorum privatorum Lips. 1738.

4) *Tuscul. Quaest.* lib. 1.

5) l. 2. v. 5. D. de religiosis.

6) *Aelianus* Var. hist. lib. 5. c. 14. p. m. 3 25 ed. *Kuebu.*

extingui sed in alia quadam loca immigrare, quorum aditus nemini prius pateret quam corpus exanimatum terrae exigua glebula fuisset coopertum, et, si qui cadauer insepultum iacere sustinuisset, eos diuinās poenas daturus, sui temporis hominibus persuadere, consilio sane laudabili, omnibus viribus annisi sunt. Quae opinio 7) omnium, qui Graeca sacra sequebantur, si a paucis, 8) qui ob philosophiae studia, quibus delectabantur, aliter sentiebant, mentes atque ingenia ita occupata tenebat, ut loca sepulchrorum religiose colenda, sibi que nihil magis expetendum censerent nisi ut supremi honores, quam primum fieri possent, rite haberentur. Quam ob ipsam rem Horatius, 9) Archydam poetam grauiissime sic dicentem induxit:

At tu nauta, vagae ne parce malignus arenae

Offibus et capiti inhumato particulam dare.

Patroclus deinde apud *Homerum* 10) amicissimi sui *Achillis* se offerens oculis, supplicii voce hunc, ut ipsum, quem longe a *Plutonis* portis umbrae abigerent, sepeliret, rogavit. Haec autem opinio, a superstitionis erroris que vitio licet non aliena, qua immortalitatis animorum et vitae beatoris futurae spes excitata alebatur, et animi ad delinquen-

7) videatur M. G. Herrmann im ersten Theil des Handbuchs der Mythologie nach Homer u. Hesiod. S. 386.

8) v. Seneca Epist. 92. et cap. 14. de tranquill. animae.

Sepulturae contemtorum impiam et inhumanam sapientiam, quae nihil mali esse censet, iacere inhumatum atque insepultum, iam *Lactantius* de vero cultu Institutionum lib. 6. cap. 12, accusat, et quod diuinæ voces et humanitatis sensus omnium mentibus impressus suadeant, faciendum censet: hominem enim nihil humani a se alienum debere putare et ubicunque homo desiderabitur, ibi exigi suum officium existimare.

9) Lib. 1. Odarum od. 28.

10) Il. *ψ.* v. 95 seqq. Similis huic locus de *Elpenore* ab *Ulyssæ* sepulchrum petente videatur Od. *λ.* v. 51. *Virgilius* ideo *Sibyllam* VI. *Aneid.* v. 325 comitem sic influentem inducit:

Haec omnis, quam cernis inops, inhumataque turba est;

Portitor ille Charon: hi, quos vehit vnda, sepulti.

Nec ripas datur horrendas et rauca fluentia

Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.

v. *Ovidius* in *Fastis*. V. v. 653. seqq. et *Demeter* ad *Rosinum* Lib. V. c. 39.

dum prout futuri Iudicis metu freno quasi iniecto compecebantur et ad virtutem colendam praemiorum in iis oris, quas, qui e vita exceſſerunt, incolunt accipiendorum ſpe inuitabantur, maximam vim in animos hominum manſuefaciendos morumque feritatem leniendam non potuit non habere. Eandem ob cauſam de mortuis non niſi bene ſentire, illorum tanquam ſanctorum memoriam laudationibus, ludis funebribus, praefertim ſi fuiſſent viri egregii et bene de patria meriti in, eorum honorem celebrandis, pie recolere, fas putabant, nefas autem, defunctorum cineribus maledicere vel ſepulchrorum religionem violare.¹¹⁾ Pietatis igitur et amoris ſignificandi gratia in ſuorum reliquiis ſepeliendis, laudationibus, imaginibus, cantu, lamentis, ludis, aliisque piis ritibus, quos ſicut Graeci nomine *εσίων* ita Romani *inſtorum*, iuſta ſane voce comprehendebant, ſunt uſi iidemque, niſi Patriae proditores et ſacrilegos, funere et exequiis neminem priuandum exiſtimaere. Graecos autem apud homines vtrumque ſepeliendi genus et defunctorum humationem et concremationem oſſiumque atque cinerum collectorum in urnis aſſeruationem in uſu fuiſſe, innumera veterum loca docent. Romanos item nouimus antiquis temporibus corpora defunctorum terra condidiſſe,¹²⁾ creſcente deinceps republica ea combuſſiſſe¹³⁾ et tandem, Chriſtiana religione recepta ad ſepulchrum rediſſe, eſſe combuſtionem, Chriſtiana diſciplina indignam et patribus eccleſiae damnatam nunquam lege ſed ſolo uſu contrario ſublata eſſe ſciamus.¹⁴⁾ De ipſo autem ſepulturae loco, ſicuti apud Graecos

11) Cic. de legg. lib. 2. de ſepulchris autem nihil eſt melius apud Solonem, quam ne quis ea deſtat, neue alienum inferat.

Scholiaſtes Horatii in Grotii ſtorumſp. ad l. Iuſt. laudatus ſic: erat antiquitus inolerabile nefas, ſiquis aliquid inhoneſtatis in ſepulchra patrum peregiſſet. V. etiam Cic. in Philippica. IX circa ſin. et

Tuſc. Quaſt. lib. 1. Iungantur

Pſeiferi Antiq. Graecae lib. IV. cap. 61.

12) Plinius Hiſt. Nat. lib. 7. c. 54.

13) Dionyſ. certe Haliæ. Antiq. lib. 5. v. 47. combuſtionis anno v. c. 253 factae meminit, et Decemuiralis legiſlationis tempore illa ſatis in more fuiſſe videtur.

14) Quod enim quidam dicunt, poſt Antoninorum tempora *νεκροναύτιος* uſum fuiſſe diminutum, id non ita debet ſumi, tanquam lege lata antiqui cadauerum cremandorum mores improbatum fuerint, id quod

ab antiquissima aetate mortui non in locis communibus et publicis esse sepulti leguntur sed in patriis monumentis et familiaribus sepulchris ad vias publicas positis ¹⁵⁾ et arboribus circumplantatis insignibus, ita idem fere Romae obseruatum esse videmus vbi quicumque locum in suo dominio constitutum per cadaueris aut certe capitis illationem religiosum efficere poterat. ¹⁶⁾ Qua quidem in re nulla hominum differentia spectabatur vt vel seruus, deterrimae alias conditionis, loco, cui illatus religionem tribueret. Sed nobis quidem de sepulturarum locis disputaturis, cum non sit animus, qui de religione et sanctitate sepulchrorum, de iure inferendi in loca *pura*, de violatione rerum religiosarum seuerè prohibita et de sepulchrorum diuersitate iam satis tractauerunt, eorum scrinia compilare, hunc ordinem seruare placet vt primum, quid Romanis de sepultura in vrbe et intra municipiorum moenia placuerit, ostendamus deinde quomodo sensim mortui in vrbes et adeo templa inferri coeperint, tum quid hodie de locis ad sepeliendum a republica constitutis obtineat, doceamus et denique in quaesi pretio

quidam ex loco *Capitolini* in Antonini Pii vita inferre voluerunt, quibus *Godofredus* ad leg. 5. C. Theod. desep. viol. ita satisfecit vt simul Patribus Christianis combustionem corporum damnantibus, restitutam humationem deberi probaret.

15) V. *Goensius* in diatriba eruditissima de cepotaphiis 1763 edita, in qua et vniuersè de sepulturis et in specie de ea, quae in *καρπῶς* fieri consuevit, multa docte sunt tradita. Exempla sepulturae apud Graecos extra vrbs moenia vide sis apud

Homerum II. ω. v. 788

Virgil Aeneid. lib. 3. v. 301.

Liv. Lib. 31. c. 24. §. 18.

Cic. ad Div. lib. 4. ep. 12.

De sepulcris apud Romanos in domibus non ita vt apud alias gentes receptis videatur *Goensius* l. I. p. m. 38 — 54 vbi simul

Servii locus ad Aeneid. lib. 17. v. 153 refutatur. Ad ipsam vero leg. 2. Tab. X legisse neminem poenitebit! I. G. *eccii Praeceptoris mei Summe Venerandi* progr. Lips. 1786. 4. editum, vbi multa de hoc argumento graviter et erudite disputata sunt. Xanti autem *Gentilis* diatribes civilis canonicae ad leg. XII. tabb. qua cauetur mortuum in vrbe non esse sepeliendum, et ad can. 18. quaest. 2. §. 1. quae Romae 1757 prodit, inspiciendae copia nondum mihi est facta. Denique V. C. G. *de VVincel* in diss. de iure sepult. in templis *Plinii* lib. 12 c. 12 auctoritate motus apud Romanos a primis vrbs recens conditae incunabulis moris fuisse putat, mortuos extra vrhem sepelire.

16) §. 9. 1. de rer. divis. l. 2. §. 5. 7. de relig. l. 44. pr. ff. de religiosis.

Romanae leges sint habendae de hac re praecipientes; et quid nobis de nostris prudentissime latis videatur, non obscure et libere significemus. Ac primum quidem per leges XII tabularum, cum in tanto omnium scriptorum silentio huius rei origines altius repetere non possis, sic erat constitutum: *

HOMINEM MORTUUM IN VRBENE SEPELITO, NEVE VRITO, seu vti Fulvius Ursinus legem vult restitui: HOMINEM MORTUUM ENDO VRBE NEI SEPELITO NEI VRITO.

De causis autem si quaeratur, quibus olim Decemviri et recentiori memoria Imperatores impulsu sepulturam intra continentia aedificia tam acriter prohibuerint, aliae ab aliis nulla temporum diversitatis ratione habita, proponuntur sententiae. Ciceroni quidem ex his vna illaque si quid video, verissima, de legg. lib. 2. p. m. 181. in evitando incendii periculo posita videtur. Illa autem cum ad solam cadaverum cremationem referenda sit, alia investiganda superest, quae vetandae humationi defunctorum in vrbe causam praebuisse videri potest. Quae quidem, auctoribus *Isidoro* ¹⁷⁾ et *Lucio Seneca* nulla certo alia fuit, quam ne foetore exhalationum ex cadaveribus prope vivorum domos putredine resolutis promanantium et aëra inficientium hominum vitae et valetudini noceretur. ¹⁸⁾ Quae quidem rationes, quanquam sufficere videri potuissent ad cupiditatem sepulturae intra vrbes expetendae reprimendam et extinguendam, tamen, qui sepeliendi modum et rationem sanctionibus a se ipsis profectis definiendam putavere Pontifices Romani, ne hoc sine iuris quadam specie facere viderentur, alias quasdam excogitavere causas, quarum auctoritate religionis

* Cic. de legg. lib. 2.

17) *Isidorus* in libro 14. Origg. c. 21. In excerptis e libris *Senecae*, ed. Lips. p. 833 bene dicitur, non defunctorum causa sed vivorum inventa est sepultura, scilicet ut corpora et visu et odore foeda mouerentur;

18) Allatas rationes etsi de *Winckler* LL. negaverit veras fuisse, tamen cum videam

prohibitionem illam diu antecessisse ius et signimenta Pontificalia, quippe quae postea demum accesserunt, ut ab hoc, quod sentio, discedam, non moveri possum. *Pauli* vero et *Diocletiani* auctoritas ad ultimas rei origines non recurrentium sed praesentis temporis religionem et superstitionem considerantium hoc in loco nihil certo probat.

ergo sepulchris intra urbem erigendis locus dari non posset. Finxerunt igitur, non esse ius in loco publico sepulchrum fieri, quia locus publicus privata religione occupari non deberet, religioni deinde esse sacro tibus funus videre, nec licere alicui, funere polluto, ni piaculum praecefferit, Deorum coelestium imaginibus sacrificia offerre.¹⁹⁾ Ne igitur sacra ciuitatis funestarentur, Iulius Paulus²⁰⁾ hanc prohibitionem inualuisse existimavit. Qua quidem in re Romani Pontifices, Graecos,²¹⁾ quibus ab antiquissimis inde temporibus eam opinionem inhaesisse scimus, quod, qui cadauera attingerent vel ad ea accederent, contaminarentur, praeceuntes habuere. Romanos autem Pontifices, ne quid novi statuisse quis sibi persuadeat, monendum est, certissimi apud Romanos iuris fuisse eiusque, ni fallor, iam legibus XII tabularum constituti, nemini nisi in suum locum cadauera inferre licere. Illi autem, qui ceteris, quorum memoria ad nos est propagata, rei sacrae antistitibus, in omnibus partibus, si discesseris a cupiditate per pias fraudes aliorum inprimis reipublicae opes ad se trahendi, cuius labe eos inquinatos fuisse negem, erant simillimi, utpote quos accessisse ad reipublicam quid? quod ius sacrum ad iuris publici partes retulisse satis constat, illi igitur, quae iam diu a iuris civilis conditoribus, sapienti consilio erant constituta, ea denuo, addita nova quodam ratione, hautifane apta illa, confirmaverunt.

Romae interea, etsi leges illae Decemvirales, temporibus ut sunt res humanae, immutatis, obrogationibus, surrogationibus abrogationibus et Prudentum interpretationibus auctoritatis multum amiserant, illa tamen lex de prohibendis intra urbis moenia sepulchris per longissimum tempus et multas rei romanae varietates firmissima stetit videtur. Paucissimos enim, eosque solos, qui hunc honorem virtutis causa erant consecuti, in urbe fuisse

19) v. Cicero de legg. l. i. Kirckmann de funeribus Romanorum.

Agellius N. A. lib. 10. c. 15

20) Lib. I. sentent. Tit. 21 v. Tac. Godof. ad leg. 6. C. Theod. de sep. viol.

21) Eam enim ob causam Apollon ἄλλ' ἤμισυ μὲν ἑαυτὸν ἐν δόμοις καὶ ἢ Admedi aedes intrare veretur.

v. Euripides in Alceste Prolog. v. 22.

sepultos, Cicero²²⁾ refert. Eundem etiam honorem Vestalibus fuisse habitum, Servius auctor est. Quae quidem res, quanquam sic esset constituta et Pontificum prouida cura, ne, inuitis suis commentis, defunctus intra ciuitatem conderetur, diligenter videret, temporis tamen diuturnitate et superbiae cum diuitiis crescentis et monumenti in ciuitatis conspectu splendidissimi gloriolam ambientis vitio, vel illi legi auctoritatis et vigoris non parum detractum videtur. Senatum enim *Consule Duillio* circa annum urbis conditae 494. denuo, ne quis in vrbe sepeliretur, cauisse, eundem Servium²³⁾ auctorem habemus. Ius vero hoc, quod ad Romam vnam pertinebat, *Hadrianus* Imperator ad ciuitates traduxisse videtur. *Ulpianus*²⁴⁾ enim illius rescriptum seruauit, quo constitutum est, ne intra ciuitatem quis sepeliret, poena in eum, qui contrafaceret, aut qui magistratus tale quid fieri passus esset quadraginta aureorum statuta. Dubitationem autem forte an motam, de eo, quod iustum, si lex municipalis permittat in ciuitate sepeliri? propterea, quod Hadriani rescriptum videri posset occurrere solum inolefcenti aduersus has constitutiones mori, sed nequiquam antiquas leges municipales euertere, ita Ulpianus definivit, vt responderet: „*post rescripta Principum, an ab hoc discessum sit, videbimus: quia generalia sunt rescripta, et oportet Imperialia statuta suam vim obtinere, et in omni loco valere*“. Rescripta igitur, quoniam generalia essent, discedendum esse municipiis vel ipsis a legibus suis antiquioribus, Ulpianus iustum esse censuit. Posterioribus vero verbis, post rescripta Principum, Iuriconsultus in multitudinis numero non vsus fuisse mihi videtur, nisi ipsi scribenti in mentem venisset alius de eadem re ab Antonio Pio emissae constitutionis. Quod vt crederem vel hoc me permouere debuit, quod illum, nisi edictum Antonini generale, quod ad omnes pertineret, in recenti memoria tenuisset, certo rescriptis auctoritatem generalem et obligandi vim vniuersalem ita sine li-

22.) Cicero I. I. v. de *Winkler*. II.

24) *Ulpianus* in lib. 25 ad edictum in

23) *Servius* ad *Aeneid.* lib. XI. v. 205. leg. 3. §. 5. D. de sep. viol.

mitatione adposita, tribuere non potuisse, cogitabam. *Antoninum* enim *Pium*, Hadriani succesforem, *Capitolinus*,²⁵⁾ sepulturam intra urbem prohibuisse scribit. Quae res cum vero haut similis videretur viris doctis quibusdam, ita facile euenisse negantibus, vt duo Imperatores, quorum alter post alterum ad Imperium vocatus esset, de eadem re et non dubia illa edictis suis cauerint; variae viae dubitationis huius tollendae caussa, aliis *Capitolinum ἀμαρτήματος μνημονευτικῆ* incusantibus, aliis Hadrianum ab *Vlpiano* d. l. laudatum eundem cum *Antonino Pio*, quem sc. non raro adoptantis patris nomen tulisse dicunt, existimantibus, in qua opinione *Burgius*²⁶⁾ fuit, aliis Hadriani rescriptum ad metropoles, *Antonini* autem edictum ad omnes pertinuisse vrbes et municipia affirmantibus, cuius sententiae *Godofredum*²⁷⁾ auctorem deprehendo, quem secutus est *Gundlingius*,²⁸⁾ ab iisdem sunt excogitatae. Hadrianum autem, cum ex eo esset quaesitum, an puniendi essent, qui in vrbe contra leges moresque vetustos sepulturam peragerent, et qua poena, quominus rescripto, poenae modo definito, illas sepulturas prohibuisse, *Antoninum* vero cum esset dubitatum, num vel ipsi municipales, antiquis innixi institutis, illa lege tenerentur, sanctione vniuersali omnem omnino in vrbe et ciuitatibus sepulturam vetuisse, credamus, quid obstat, equidem non video. Quod vt credam, *Godofredi* idem nobis cum sentientis et Hadrianum rescripsisse, *Antoninum* edixisse censentis auctoritate me facile permoueri patior.²⁹⁾

Quamquam iam certi esset iuris eiusque communis, nemini licere cadauera in ciuitatem inferre, legum tamen harum salu-

25) *Iul. Capitolinus* in vita *Antonini Pii* cap. 12.

26) *Burgius* in *Elect.* 2. c. 4.

27) *Godofredus* ad *L. l. 6. C. Theodos.* de sepulchro viol.

28) *Gundling* in *obf. select. litt. obf.* de origine sepulturae in templis.

29) Sed, qui locum *Iul. Capitolini* in vita *Antonini Philisophi* Cap. 13. vitio-

sum illum et corruptum huc pertinere dicunt: iis, cum *Godofredus* c. l. iam satisfecerit et argumentis maxime verosimilibus veram lectionem sic restitueat vt plane probabile sit, legi oportere, ne, *vti quis vellet* fabricaret sepulchrum; plura ad h. l., de quo etiam *Nordkerk* *obf.* c. v. p. 115, quid sentiret, exposuit, dicere non attinet.

britas per fraudes multas ab hominum superstitione inuentas elusa est; quae ipsa res Dio cletiano et Maximiano, antiquissimi iuris rescripto quodam, quod facere solebant Imperatores hac etiam aetate, confirmandei et stabiliendi, causam dedit. Cuius quidem rescripti, quod maxime ad municipia pertinebat, consilium, ne esset incertum, docuerunt, non esse sepulturarum labe sanctum municipiorum ius polluendum, ad *Pauli* fere sententiam, qui eandem eiusdem rei rationem affert. Quae quidem ratio cum vel obscurior vel vero haut similis videri posset quibusdam, qui illius interdicti veram causam eamque a rerum natura petitam non ignorant; recordari debemus illius, quod a legum studiosis et cultoribus rerum antiquarum saepe est animaduersum, Imperatores in reddendis legum causis, haut semper veras et supremas sed plerumque quasdam, quas secundarias seu praetextus voco, qui saepius plus valent ad animos hominum mouendos, afferresolere. Idem de hac lege valet, cuius non eam quae antiqui iuris ratione iuuatur, verum, quae Pontificibus debetur, eam causam adiectam videmus. De sepultura vero ab Imperatoribus illius temporis in vrbibus prohibita cum iam satis constet, sane non opus fuisset *Paullum* mentari, cuius auctoritate eadem res confirmatur³⁰⁾ ni viderem *Schultingium*, Virum Summum ab interpretatione verborum Paullinorum in §. 2. Tit. ult., quae vulgo est recepta, discedere. Ait, Ictus: *Corpus in ciuitatem inferri non licet; et intra muros ciuitatis corpus sepulturae dari non potest vel vstrina fieri.* *Schultingius* vero in verbis §. 2. negat sermonem esse de sepultura in civitate, sed de illatione potius cadaueris aliunde in aliquam vrbem, cum haut quaquam mortuorum iam extra vrbem humatorum nunc terrae exemtorum et in vrbem importatorum translatio a stricto et merito iure priuatorum arbitrio fuerit relicta: quod posterius profecto sic est. Verum enim vero cum tertius paragraphus ita cum secundo cohaereat, vt, quod in hoc de singulari quadam specie expositum fuerat, in illo vniuerse sit affirmatum, et quam addidit

30) *Paulus* lib. v. rec. sent. tit. 21. §. 2. et §. 3.

Paulus rationem, ea ad tertium non minus atque ad secundum pertineat et tandem, sicut τὸ εἶναι funeribus extra urbem ad sepultura portandis proprium fuit ³¹⁾ ita τὸ inferre solemne cuiusvis sepulturae vel humationis vocabulum sit, quod nullibi de translatione usurpatum inuenias ³²⁾ Schultingii ratio, quae diuertium fecit ab explicatione a Cuiacio et Kirchmanno iam dudum suppeditata ³³⁾ mihi probari non potuit. Hoc igitur iure hac in re Romani vsi sunt ad Constantini Magni vsque aetatem, i. e. ad ea vsque tempora ubi religio Christiana, quam Imperatores profiteri coeperant, nouas leges et noua instituta postulare videbatur. Christiani enim homines ante Constantini aetatem omnibus fortunae et miseriae telis oppositi, tantum abest vt in sepulturarum locis constituendis iure comuni vti noluerint, vt hoc ipso tempore vel illud ipsum Christiani nomen crimini esset atque periculo. ³⁴⁾ Illi profecto, quos in omnium odio et invidia fuisse constat, qui potuissent, noui quid moliri et soli, inimicorum immenso numero septi, Imperatorum voluntati obniti? Illi quidem, cum iam tertio seculo a vera Christiani sententia in errores et superstitionum opinionem turbinem incidissent, etsi sanctorum et martyrum ossa, gemmarum summo pretio ipsis cariora habita, collecta, illic, ubi rei diuinae peragendae gratia conueniebant, inferre sunt soliti, hae tamen cryptae, cum extra vrbes in locis ab hominum conspectu et frequentia longe remotis, esset extractae, sicut, qui de antiquis Christianae religionis rebus scripsere, *Boehmerus*, *Muratorius* etc. ex illorum temporum monumentis probauere, inde facile colligitur, nihil inconfulti et noui a Christianae fidei addictis fuisse susceptum. Pace autem et tranquillitate ecclesiae a Constantino conciliata, cum

31) *Corn. Nepos* in *Aristide* cap. 3. in *Cimone* c. 4. vt alia loca praeteream.

32) *Corn. Nepos* *Pausan.* c. 5. l. 40. π. de religiosis l. 3. §. 3. π. de sepulch. vi. l. 6. §. 6. π. com. divid.

33) *Cuiacius* *obss.* lib. 21. c. 13. *Kirch-*

mannus de funeribus Romanorum l. II. c. 21.

34) *Chrysostomus* certe a *Celebary*. *Eckio* laudatus in homiliis egressionis ex vrbe ad martyrum monumenta mentionem iniicit, et alio loco, τὰ νεκρὰ σώματα, inquit, ἐξὼ τῆς πόλεως κεισάπτομεν.

ab illius et qui post eum imperium tenere, Imperatorum, non dicam, liberalitate et beneficentia, quarum virtutum laus in eos³⁵⁾ non cadit, quos scimus gratificatos esse, quod obérat illis, quibus prodesse velle videbantur, et aliis nocuisse, vt in alios liberales esse possent, sed ostentatione et prodigalitate in omnibus fere urbibus templa splendidissima extracta essent, eadem ipsae Martyrum et Sanctorum sanctae reliquiae in aedes cultui divino consecratas, vt his nova quasi sanctitas conciliaretur, tanquam in sedes suas perpetuas et aeternas immigravere. Qui mos, a parvis initiis profectus et quae est hominum imbecillitas et mens ad errores prona, excusandus, quomodo aucta hominum superstitione ita creverit, vt quilibet, Imperatorum et Episcoporum praeceptum exemplo non laudabili, ossium suorum sedes vel in ipsis templis vel saltem in ecclesiarum vestibulo exoptaret, cum ab aliis antiquorum monumentorum fidem sit expositum, pluribus ostendere, nec locus nec consilii ratio sustinent. Theodosium deinde Magnum, cum vidisset, hominum erroribus immense per Clericorum dolosae cohortis conatus auctis a pristinis legum prudentissime latarum sanctionibus esse descitum ita vt urbes et templa ingredienti coemeteria viderentur, quo irumpenti malo obex obiiceretur, lege lata pristina instituta reuocare tentavisse, Codex a Theodosio altero paratus nos docuit. Illius legis³⁶⁾ verba, quae integra hic apposuisse non a re alienum duco, haec sunt:

IMPP. GRATIANUS, VALENT. ET THEODOS.

„Quae supra terram vrbis clausa vel sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, vt et humanitatis instar exhibeant et relinquant incolarum domicilio sanctitatem. Quisquis autem huius praecepti negligens fuerit atque aliquid tale ab huius interminationis praeceptis ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte multetur. Officium quoque, quod sibi paret, quinquaginta librarum auri affectum dispoliatione meretur. Ac ne alicuius fallax et arguta sollertia ab huius se prae-

35) Cic. de off. lib. I. c. 14.

36) I. 6. C. Theod. de sepulch. violato.

„cepti intentione subducatur, atque Apostolorum vel Martyrum
 „sedem humanis corporibus aestimet esse concessam, ab his quo-
 „que ita ut a reliquo ciuitatis nouerint se atque intelligant esse sub-
 „motos. Dat. III Kal. Aug. Heracleae. Eucherio et Synagrio
 „Cofs. 381.“

Cuius legis binas ipsi Imperatores attulere causas, alteram
 ut cadauera humanitatis instar exhibeant, alteram ut relinquunt
 incolarum domicilio sanctitatem. De prima vero, etsi Godofredo³⁷⁾
 et Muratorio³⁸⁾ ea hanc sententiam habuisse videatur, ut viatores,
 et qui sepulchra praetereunt, fragilitatis humanae et vitae breui-
 tatis admonerentur, ad antiquitatis exemplum, qua per sepul-
 torum monumenta secundum vias publicas et ad ea loca, vbi vulgo
 iter sit posita et per illa; *siste, aspice, viator?* ad humanae condi-
 tionis memoriam praetereuntes, Varrone³⁹⁾ teste, vocari solebant,
 et nos plane non negemus eiusmodi fuisse antiquitatis consilium;
 tamen, ut ne in Theodosii Magni lege antiquitatis illius aliquod
 vestigium inveniri posse credamus, cum orationis nexus, tum legis
 latoris voluntas diligenter considerata suadere videntur. Humana
 enim corpora *supra terram* urnis, quae ossa cineresque mortuorum
 clausos et conditos continebant,⁴⁰⁾ asseruari vel sarcophagis deti-
 neri noluit, sed terrae, omnium matri mortalium reddi Imper-
 ator voluisse mihi videtur. Quod ut crederem, non illud solum
 me movit, quod intelligerem, Theodosii consilium, si fuisset hoc,
 quod illi censent, vel sine hac lege non irritum esse potuisse, cum
 sepulchra in urbibus et templis hic illicque aedificata non minus
 ac quae extra vrbes extracta erant, homines accedentes ad mor-
 talitatis cogitationem in animum saepissime revocandam adducere
 poterant, sed illud etiam, quod Theodosium non ignorarem im-
 pense fauuisse illi sepulturae, vbi corpus exanimatum glebulis iniec-

37) lac. Godof. ad. l. l. G. Theod.

38) Muratorius in disquisitionibus de ve-
 terum Christianorum sepulchris, quas in-
 ferendas curavit Ritterus in Cod. Theod.
 T. II.

39) Varro de lingua lat. l. 5. p. 53. ed.
 Steph. et p. 64. ed. Bipont.

40) lac. Godof. ad d. l. et qui defunere
 et sepulchrorum ritibus exposuere.

tis contegitur, et ideo supra humum ollas, quae tegeant humanas reliquias, asservari noluisse. Cadavera igitur Theodosio tunc humanitatis instar seu exemplum exhibere videntur, quando ad humum, unde venerunt, redire et cum illa misceri possunt. Imperatori enim, cum displiceret, si quid mores gentiles redolens, ecclesiae patribus reprobaretur, mortuorum cineres in urnis collectos et ossa pagano ritu sarcophagis inclusa eminentibus in locis et supraterram erectis detineri, id quod ab humanitate alienum posset videri, sustineri noluit. Quod vero ad alteram legis rationem attinet, Muratorii ⁴¹⁾ interpretatio, cum Theodosio hanc affingit mentem, quod, ne omnia urbis loca a sepulchris occupata sacra et sancta efficerentur, cauere voluerit, et verbis et legis Theodosianae menti parum respondere et obscurior esse mihi videtur. Melius GODOFREDUS qui legislatorem, cum de hac lege cogitaret, cum Iulio Paullō veritum esse Christiana scilicet ratione censet, ne sacra urbis funestarentur, i. e. ne templa DEI VNIVS cultui destinata impura redderentur et labis aliquid ex illo cadaverum foetore contraherent. Quae quidem ratio etsi gentilitatem redolere videtur, suo tamen modo non inepte a Theodosio, cuius erat, videre, ne urbs templorum magna multitudine ornata macula quadam et impuritate ex sepulchrorum tristi ad spectu et periculo adspargere- tur, adhiberi et in suos usus conuerti potuit. Hae sunt causae, quibus adductus Theodosius iuri pristino integritatem suam et valorem prudenti quidem at incasso sane consilio restituere tentavit. Ipsi autem legis veram sententiam cognoscere cupienti, facile probari posset Muratorii sententia, qua hoc rescripto negat fidelium sepulturam in Martyriis omnino et cum animo talem sepulturam reuera improbandi fuisse interdictam, sed ut aiunt, indirecte solum et ideo, ut ab urbanis sepulchris ciues arcerentur. Virum eundem Summum persuasum habuisse video, hanc legem ad solam urbem regiam Constantinopolin pertinuisse, ad cuius praefectum ab Imperatoribus fuerit missa et ad ceteras urbes ne

41) Muratorius. l. l.

tum quidem, cum in vtrunque Codicem recepta erat, esse tractamet ideo solos Constantinopolitanos cives, non vel aliarum urbium incolae, quos in urbibus suis vel suburbanis basilicis sepulchro donari nemo prohibuerit, illa constitutione fuisse obligatos. Quod quam vere dictum sit, vel hoc solo argumento probari posse existimat, quod solius Constantinopoleos, nullius autem e reliquis Romani Imperii urbibus mentio fiat, imprimis cum vel Iustinianus Const. 2. C. de Sacros. Eccles. nihil aliud nisi repetere et denuo in culcare illam voluisse videatur et rationes rescripto praemissae huic interpretationi optime respondeant. Sed huic sententiae an tanta insit vis, ut illi accedam necesse sit, valde dubito. Illa quidam lex non ad solam a Constantino nominatam urbem sed ad alias etiam pertinuisse quid? quod sepulturam in templis omnino et prorsus improbasse mihi videtur. Cuius assertionis probationem tanto felicius cessuram mihi confido, quanto praestantiorem ducem habeo *Iac. Godofredum* ad l. l. quem, nisi iustae rationes aliud suadeant, sequemur, et quanto magis persuasum habemus, Muratorium non vere et ex animi sententia sed defendendae causa sepulturarum in templis antiquae originis, quam a multis aequalium suorum in dubium vocari et plane damnari intellexerat, in hunc modum scripsisse.

Ac primum quidem etsi non is sum, qui neget hoc rescriptum esse missum ad urbem Constant. Praefectum, id quod illius inscriptio a nemine, quod equidem nouerim, impugnata, satis docet: tamen vnum hoc argumentum nos plane non mouere potest, ut sepulturam in templis et intra murorum ambitum apud alias vrbes licitam et Imperatoribus probatam existimemus. Pluribus enim legibus iisque non abrogatis vel vsu contrario exoletis iura circa sepulturae locum in vniuerso Imperio ita erant constituta ut nulli nec metropolitano nec municipali in vrbe sepeliri fas esset. Theodosium vero ut ita rescriberet, certo hoc permouit, quod quaeretur, an illud ius, quod intra Italiae fines obtinebat, in vrbe etiam Constantinopolitana deberet seruari. Quod cum ab Imperatore affirmatum videmus, hac ipsa re non obscure et occulte simul est significatum, probari ab eodem et confirmari

vetustissima Romanorum instituta, eundemque velle vt, sicubi, quemadmodum ipsi erat de Constantinopolitana vrbe relatum, ita in alias vrbes consuetudo contraria et damnata irrepsisset, ea non obtineat sed ius antiquum suis rationibus munitum conferretur. Deinde quemadmodum rescripta et decreta, quibus Imperatores plerumque de iure certo et iam constituto respondebant, ex eo, quod Codici sunt inserta, naturam constitutionis generalis ad exemplum trahendae recepisse qui neget, nemo est, ita, quominus idem de Codice Theodosiano, in quem Magni aui rescriptum Theodosius Junior recepit et autoritate sua confirmavit, asseratur, quid prohibeat, ego nullus video. Rescripta quidem, etsi strictiorem naturam habeant et interpretationi, quam vocant restrictiuam, obnoxia sint, certo tamen ad species omni ex parte similes applicari possunt. ⁴²⁾ Oportet igitur vere legem nostram deinde ad omnes ciues pertinuisse, cum iam Vlpianus ⁴³⁾ rescripta principalia dicat generalia esse, quae suam vim obtineant et in omni loco valeant, necesse sit. Muratorii ratio si vera est profecto legibus Codicis, cuius plurima pars rescriptis continetur, cum nihil amplius constitutionum, nisi quod edictis ceteris que constitutionum generalium speciebus continetur, pro iure vniuersali possit haberi, mirum quantum de vi sua et auctoritate erit detractum. Deinde legis huius rationes non minus ad alias vrbes quam ad Constantinopolitanam apte referri posse, nemo non intelligit. Iustinianus tum, qui Theodosianam legem licet non integram, sed qui mos fuit concinnatorum iuris Iustiniani mutilatam Codici suo inseruit, et cui de legislatorum anterrimum mente optime constare debuit, cum simpliciter martyrum sedem negauerit humandis corporibus esse concessam, non inconsulto et temere *ad intra urbem* omisisse existimandus est. Qua re voluisse mihi videtur declarare, quod Constantinopolitano Praefecto antea esset rescriptum, eius seruandi vinculo nunc omnes vrbes te-

⁴²⁾ *Silberad ad Heinert. hist. iur. pag. 511.*

⁴³⁾ *Vlpianus l. 3 §. 5 D. de sepul. viol.*

neri. Sed properare debeo ad alteram Muratorii sententiam, qua sepulturam in vrbe solam, illam vero, quae in ecclesiarum vestibulis peragitur, non omnino et directe, sed ideo tantum, ne lex prior plane foret irrita, fuisse prohibitam affirmat. Quae sententia, quo statim intelligatur quam male potestati legis respondeat, singula legis capita curate sunt ponderanda. Theodosius iuris vetustoris salubritati conseruandae intentus, sepulchrorum loca a domiciliorum sanctitate remouenda et ipsa cadauera extra urbem terrae mandanda esse, lege lata sanxit. Quamobrem omnia cadauera, quae vrnis inclusa intra moenia detinebantur graui in immorigeros poena constituta, ex vrbe iussit efferrī. Consilii vero sui ratio vt cuilibet dubitanti pateret et ne quis arguta et fallaci sollertia gaudens, perspicuae legis voluntati, dolosa mente se subduceret, speciatim templorum, in vrbibus maximam partem post superatos persecutionum angores exstructorum, et vel ob hanc causam ab omni cadauere apud se recipiendo exclusorum mentionem fecit, et quantum in modum Christianorum humentationem prope Martyrum ossa ambientium superstitioni errores ipsi displicerent ita significauit, vt de vera ipsius mente dubitandi locus non amplius daretur. Imperator enim, si fauisset erroribus illis, vtramque rationem pari indignatione prohibendo, a sepultura in Martyriis ita vt a reliquo ciuitatis non submouisset homines. De sepulchris autem in basilicis extra urbem sitis, quid sentiret, quod non confestim et eadem lege exposuerit, illud non ita potest sumi, in qua opinione Muratorium versari video, quod illum modum probauerit, quod ab Imperatore sibi constante fieri non potuit sed quia ad Praef. Vrbs Const. de vrba sepultura quaerentem rescribens, non simul de eo, quod in pagis aut aliis locis, vbi templa conspicerentur, obtinere deberet, respondere potuit. Sed dubitanti de vera Theodosii sententia considerata l. 2. C. de sacros. eccles. ex lege Cod. Theod. descripta, omnis scrupulus adimatur necesse est. Verba haec sunt: *Nemo Apostolorum vel Martyrum sedem humanis (seu potius recte monente Muratorio humanis) corporibus existimet esse concessam.* En? vbi locorum distinguitur inter Martyria intra vel extra vr-

bis moenia aedificata? at, obiiciat aliquis, voluitne Iustinianus rescripti naturam mutare? est ne potius Triboniani audax manus incusanda quod legis Theodosianae nihil nisi fragmentum idque truncatum ad nos peruenire? Est ne quaeuis lex ex fonte suo, vnde veluti hausta, interpretanda? Sed his obiectionibus non ita me moveri patior vt Iustinianum negem, deletis reliquis nostri rescripti verbis, voluntatem de euiciendis ex quibus cunq̄ue templis cadaueribus significare voluisse. At, saluberri-
mas eiusmodi leges disciplinae Christianae inualescens auctoritas et hominum consuetudo tam alte animis infixae, vt temporis successu maiores sumeret vires, paulatim debilitauit, debilitatas mox obliuioni tradidit 44). Primo enim Principes vt tantum Constantium M. et Honorium nominem, Episcopi deinde, quorum ambitio et superbia ipsa Imperatoria maiestate inferior esse nolebat, alii tum in primis, quos non quidem vitae sanctitatis morumque integritas sed diuitiarum et auri copiae conspicuos et munificentia Clericorum avidae genti probata venerabiles reddiderat, cum, qui vitam haut integram et sceleris puram vixerant, a sanctitate loci dignitatis aliquid se consecuturos sperabant, in templis prope Sanctorum ossa vel in paradiso seu atrio sepeliri concupiuerunt 45). Res tandem eo est perducta, vt, quod iam diu peruersis moribus introductum et confirmatum erat, lege civili promulgata in ius certum et scriptum transfret. Leo enim vulgo Philosophus, legibus vltimae antiquitatis reli-

44) Deyling prudentia pastor, p. III. c. 10. §. 16.

Winkler c. 1.

45) vid. Gundling obff. sel. p. 146. I. H. Boehmer in Originibus praecipuarum iuris eccl'es. materialium cap. 22. §. 4. seq. vbi diligenter notatum est, quomodo haec superstitio sensim creuerit, deinde, licet conciliorum quorundam canonibus paulum repressa, mox Episcoporum exemplo clerique auri sacra et detestanda fame pro-

pagata caput ita extulerit, vt remedia illius delendae causa admota irrita essent. Eo enim improbae auaritiae processerunt Clerici, vt postea militum corporibus et eorum, qui pessime vixerant, in templis sepulturam, precio oblata indulgerent v. C. Ziegler ad Lancellort. tit. de sepult. Sed hanc causam, quia iam perorata est, repetere nolo. I. H. Boehmer diss. de iure erigendi coemeterium. c. II. §. 25.

giola obseruatione venerabilibus abrogatis, nouella quadam ⁴⁶⁾ constitutione edita, facultatem omnibus liberrimam impertiuit vel intra vrbes vel extra sepulchra constituendi. Qua lege etfi quidam pristinum morem in propriis fundis suorum cadauera humandi sublatum velint, *Leonis* tamen mens quod alia et ab illa plane diuersa fuit, ipsa legis accurata inspectio quemcunque docere potest. Quas vero rationes Imperator attulit, quibus permotus sapientissima veterum placita immutanda censuerit, de earum prudentia non leues dubitationes mouere posses. Leo quidem quod leges ciuiles non tantum, quae communi vitae subditorum profint, sed etiam praescribere debere, quae defunctorum religioni sint conuenientia, in eo recte sentit. Mortuorum enim cadauera, ne exhalationum foetore hominum vitae et sanitati noceant, iam sancta antiquitas cauendum putauit. Ille autem, quod praescae originis instituta eas maxime ob causas, quod partim amicorum et cognatorum, sepulchra suorum amplexari in eaque lacrymas profundere pias volentium, desiderii explendi tam facilis opportunitas non esset, cum extra ciuitatem sepultis haec officia non ita commode possent praestari, partim, quod eorum, qui, dum viuerent, deserti ac inopes erant, quia sepulturae sumtus deficerent, corpora multis diebus insepulta, miserabile et horrendum spectaculum, iacere nec ipso mortis die humari posse necesse esset, absurda et inepta existimauit, in eo potissimum legislatoriam prudentiam desiderares. Imperatoris enim et Principis boni cum sit, erroneas opiones ac superstitionis macula infectas e ciuium animis eradicare et animorum corporumque sanitati simul prospicere ⁴⁷⁾, *Leonis* leges pruden-

⁴⁶⁾ *Leonis* nov. 53.

⁴⁷⁾ Quod antiquis Romanis maximae curae fuisse, quae huius rei testimonia apud veteres auctores extant, luculenter demonstrant. Vt omittam stupendum cloacarum publicarum opus, a Tarquinio exstructum, certo tunc etiam pertinere instituta illa se-

pulchralia hactenus exposita, ex antedictis apparet. Vid de hoc argumento *E. B. Hebenstreit* Viri Clarissimi diss. duae, Curae sanitatis publicae apud veteres exempla Lips. 1779. et 1783 et *B. G. Bossi* progr. de causis sanitatem publicam impediendis.

dentissime constitutas tollentis consilium, quo defunctos, qui dum viuerent, in omnium rerum affluentia constituti et beati erant, quia interdum Dei famuli appellentur et per coelestem gloriam colantur, pio luctu et amicorum lacrymis in ipsis sepulchrorum monumentis commode profundendis noluit priuare, ineptissimum esse, quis est, quin videat. Oblitus prudentissimus Imperator, leges communis salutis causa conditi, quod omnibus conducebat, neglexit, quod paucorum commoditati inferuebat, constituendum existimauit. Deinde cum sepultura mortuorum ipso mortis die facta, non solum prudentiae ciuilis et humanitatis praeceptis repugnet, sed etiam πολιτεία prudenter constituta, cuius summa cura ad Principem spectat, ne egenorum vita defunctorum reliquiae inhumatae, non sine viuentium periculo abiectae iaceant, prouidere debeat, altera Leonis ratio, in qua sibi valde placet, ab absurditatis nota haud facile potest defendi. Sed fuit illorum temporum, vbi principes fere omnes, tantum abest, vt de re publica ad interitum ruente et misere ab omnibus partibus afflicta sapientissimis legibus, institutis et disciplina antiqua publica et priuata, quibus res Romana tantum in fastigium ascenderat, quantum fieri posset, in vsum reuocandis et confirmandis, melius constituenda et sapienter moderanda cogitauerint, vt, Theologorum erroribus et factionibus vel alendis vel extirpandis intenti, neglecta salute publica, theologicae eruditionis inani gloriola, non autem reipublicae bene administratae et ab hostium quotidie maiori vi Imperium adorientium ingenti multitudine defensae iusta laude inclarescere voluerint, fuit igitur eorum temporum tanta infelicitas 48), vt homines extremae turpitudinis et omnibus vitiis obruti, nulla rerum prudenter gerendarum prudentia insignes, cum ad Imperii fastigium elati

48) v. Edward Gibbon in der Geschichte der Abnahme und des Falles des Römischen Reichs im 8. u. folgenden Baenden der d. Uebersetzung Wien 1791. ff. und

Montesquieu's Considerations sur les causes, de la grandeur des Romains et de leur decadence. Chap. 22. 23. 24.

essent, speciem sapientiae prae se ferendo, se beatulos putarent, si vitii quid maiorum monumenta dedecorans aut quod temporibus parum esset aptum, corrigere et nova lege, longissima praefatione sapientiae ipsorum laudatrice instructa, noui quid licet ineptissimi statuere possent. Leo vero, Princeps pro suis temporibus doctissimus 49); scripsit scilicet de aucupio librum, per hanc nouellam quid prudenter et quod multa praefatione ad hominum animos praeparandos indigeret, constituit? Summa haec est, vt quilibet contra antiqua instituta et leges ad ipsam naturam expressas et diuturno vsu confirmatas siue intra siue extra muros cadauera sepelire voluerit, perficiendae voluntatis facultatem habeat. Ex Germanis autem, maioribus nostris, quos Tacitus 50) nulla funerum ambitione esse vsos, refert, aspernantes monumentorum arduum et operosum honorem vt grauem defunctis, quotquot Christianae religionis praecipis erant imbuti, Caroli magni aetate in ecclesiis partim, partim extra eas in templorum atriis sepulti videntur. Quod nisi sic fuisset, magnus ille Imperator nullam opportunitatem habuisset lege lata improbandi humationem in aedibus sacris. Sic enim Imperator 51): *vt nullus deinceps in ecclesia sepeliat mortuum.* Saxonibus graui et

49) De Leonis Philosophi prudentia legislatoria, quid sit sentiendum, haut sane scio, quomodo melius intelligere possis quam lecta Novella 89. in qua rem iure antiquo l. 3. C. de feriis nixam, rationi maxime consentaneam, et cuius summa erat necessitas, quod feriis diuinis, quamquam omnia sint prohibita, quibus cultus diuinus impeditur, tamen, necessitate excusandi rationem praebente, morbo grauiori laborans sit examinandus, delinquens adprehendendus et custodiae mandandus, frumenta, quae aliis diebus non ita commode colligi poterunt, colligenda, in qua igitur rem vtilissimam damnauit et ne Domini

cultus vilipenderetur, statuit, vt omnes in die sacro, quoque ipsius, scilicet Leonis Philosophi integritas instauraretur, a labore vacarent neque agricolae neque quicumque alii illicitum opus aggrederentur. Idem Philosophus botulorum cruore distentorum tanquam rei nefastae venditores et confectores flagellis caedendos et publicatis bonis e patria eiciendos esse sanxit: vide eius nouellam 58. quae tota in eest, vt scelus eorum, qui ex sanguine humano cibum conficiunt, diris poenis coerceatur.

50) Tacitus Germ. c. 27.

51) Baluzius in Capitul. L. 5. c. 153.

diurno bello tandem defatigatis sed honeste victis idem duram illam legem iniunxit 52) *ne quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit et ossa eius ad cinerem redegerit, capitis poena in seculis facientes proposita et ut corpora Christianorum Saxonum ad coemeteria ecclesiae deferantur et non ad tumulos paganorum* 53). Ab hoc autem tempore Germani reliquis Christianis gentibus haut sapientiores, peruerso illo more quotidie magis inualescente, Clericos et monasteria opibus et amplis redditibus dotauere 54). Nouella quidem Leonis supra enarrata in Oriente certe obtinente et si sepulturarum urbanarum et maxime earum, vbi cadauera in templis vel eorum atriis conduntur, amor multum auctus fuerit; potestate tamen in fundo proprio sepulchralia monumenta exstruendi cuique relicta, illo tempore nondum causae ad sepulturam pertinentes omnino ad iurisdictionem ecclesiasticam ita erant relatae, vt sepulturarum locus, tempus, ritus et omnis sepeliendi modus a Conciliorum canonibus vel Clericorum et Episcoporum voluntate prorsus penderent. Libertas enim antiqua, qua sepulturae ratio cuiuslibet arbitrio et potestati erat relicta, cui tum solum, si inde reipublicae aliquid damni immineret, erant limites positi, Leonis tempore et aliquot annos post eius memoriam haut imminuta et restricta permanuisse videtur. Sed mox Clericorum sanctam speciem prae se ferentium fraudibus piis est effectum, id, quod apud homines errorum et ignorantiae tenebris obsecatos facillime euenire potuit, vt, cum a iure antiquo esset dictum, templorum vestibula sepulchrorum loca communia fie-

52) Capitulatio de partibus Saxoniae, capitul. 6. et 21. Imperator vero, quod tumulorum iniecit mentionem, id ideo fecit, quia tumulos apud omnes septentrionales populos diu in vsu fuisse constat, sed e cespite erectos tenui nec superbos et mausolaeis similes. v. Tac. de morib. Germ. c. 1.

53) *Meinders* lib. de statu religionis etreip.

sub Carolo M. et Ludouico Pio in vetere Saxoniam. Lemg. 1711. 4. vbi capitulatio de partibus Saxoniae typis descripta exhibetur.

54) v. Hachenberg in Germania med. dist. vlt. et alii, qui de sepulchris veterum Germanorum exposuere laudati a *Fabricio* in bibliographia antiquaria.

rent, vbi vulgo defunctorum cadauera pio ritu essent sepelienda et sepulchra priuata priuatis in locis posita fere plane exulescerent. Quod ipsum in Conciliis vt in Triburiensi anno 895. celebrato confirmatum legimus 55). Qua ipsa re Cleri, sine cuius auctoritate nemo sepeliri poterat, potestatem non parum esse auctam intelligimus. Sed in causas inquirenti, cur factum sit vt causae sepulturarum a Clericis tanto studio et contentione, tantis etiam laboribus ad ecclesiasticam iurisdictionem sint tractae, et cur illi, vt ipsi possent soli de sepulturae loco et solennibus cognoscere et decernere, tantopere elaborauerint, non potest non *Thomasi Gundlingii* et *Boehmeri* aliorumque, qui verum amare, verum dicere idque vel ore vel litteris tradere consueuerunt, ratio placere, cum haec Cleri conamina ex eius ambitione et fastu et auri pecuniaeque cupiditate ne dicam rapacitate veluti ex fonte promanasse docuerunt. Admirandum vero est ingenii acumen, consilii prudentia et singularis plane constantia, quibus excellere Clerici sicut in omnibus iis perficiendis, quorum auxilio ipsorum in animos hominum et maxime Principum potestas, aura popularis et quod rei caput est, opes auferentur et crescerent, ita etiam in sepulturalibus causis ad suam cognitionem trahendis. Illae enim antea priuati arbitrii fuerunt et tantum, quatenus vel ob sumtum funerandi causa expensorum nimiam magnificentiam cohibendam et eorum modum constituendum vel ob sanitatem publicam conseruandam ad rempublicam pertinebant, iuris publici existimatae sunt. Clerici igitur, cum quantopere hominum animi superstitione atque gloriolae et famae celebritatis cupiditate abriperentur, non ignorarent, indulgendo his vitiis, id quod volebant, facillime sunt adsecuti. Superstitiosis enim morientium desiderijs, post fata in templis vel certo in eorum atrijs loculum expetentium, tantum abest, vt, sicut fas erat, se oppouerint, vt lubenter satisfecerint, quid? quod coemeteriorum ter-

55) v. l. *H. Boehmer* in *Orig. iam ll.* ditumdescriptum exhibuit,
p. 447. vbi canonem in hoc concilio con-

ram sanctam, et sanctorum in templis sepulcorum precibus Deum commotum facile veniam peccatorum concedere, mentiti sint 56)? Quid igitur mirum, laicos in tantis temporum tenebris adeo coecos fuisse, vt pro anima redimenda et supremis honoribus rite sibi habendis, bona liberis vel cognatis egestate oppressis debita, Clericorum rapacitati concederent? Porro cum sacerdotes negatorum bonorum maius et ardentius desiderium enasci intellexerent, quosdam humationis in loco sancto et religioso honore plane indignos iudicabant, *banno ecclesiastico* excogitato et regula constituta; quibus viuus non communicauimus, iis nec mortuis communicare debemus 57). Sepulturae inde in honestam et inhonestam eamque vel humanam vel asininam distinctio, quod mireris, ad nostram vsque memoriam firma et non rephensa perstitit. Illis autem temporibus sacerdotes cum, qui eorum turbam intrafines a prima ecclesia Christiana constitutos revocaret, nemo adesset, iurisdictionem, quae antiquo quidem tempore nulla fere fuit, cum in sola *notione* consisteret 58) cum in hac tum in aliis causis arripere et nefanda quaeque et a sua dignitate maxime aliena securi perpetrare eo facilius poterant, quo magis Principes, turpissima maximam partem ventris ac Veneris mancipia, illorum fraudibus et dolis decepti, Imperii et Maiestatibus suae iura, sibi ipsis parum cognita ab aliis imminui et eripi patiebantur et reipublicam Clericorum perfidis manibus administrandam concedebant. Etsi vero primum sacris canonibus 59) et Pontificum decretis, ne venalis ecclesia aut sacerdotes hominum interitu gaudere dicerentur, si ex illorum cadaueribus studerent habere compendium, penitus sit prohibitum, ne quis terram pro sepulchris venderet, aut pro sepulturae loco pretium et pro humanis corporibus munera aut aliud quid accipere au-

56) C. 3. quae. 2. c. 17.

57) c. 1. et 3. c. 24. qu. 2.
Fleury Instit. iur. Can. p. m. 389.

58) I. G. Seger diss. I. historia iuris dic-

tionis ecclesiasticae ex legibus vtriusque Codicis illustratae Lips. 1773.

59) Cap. pen. X. de sepult. Can. quae-
st. 12 §. unde C. 13. qu. 2

Cap. 29. et 41. X. de simonia

deret: tamen, quod antea ex humanitate et nullo iure cogente Clericis pro praestitis in sepeliendo piis officiis solui consueverat, nunc quodammodo necessario, inuenta portione Canonica et eleemosynis legari solitis ecclesiae ad quam sepelimur et maxime a confessionariis morientibus commendari solitis, erat praestandum ⁶⁰). (Hodie ex legis ⁶¹) necessitate honorarium nostris sacerdotibus debet praestari, a quo iure qui in re tenuissima sunt constituti, exemptos vides). Clerici igitur quoniam insignem lucrum ex sepulturarum cura ad ipsos rediturum sentirent, coemeteriorum prope basilicas constitutorum usum, non repugnante Principum potestate, omni studio defendere et quo minus quis in alio quam communi illo sepulturarum loco sepeliretur, impedire studuerunt ⁶²). Sed illos inter ipsos cum contentio quadam enata erat de quaestione, an cuilibet, vbiunque vellet, tumultus deberet concedi et quid iustum esset, si quis in alio loco, quam cuius sacris fuerat usus, sepeliri vellet; auaritia longius progressa, vt, quamquam sepulturae eligendae libertas nemini sit adempta, tamen, ne quaestus et lucelli aliquid vni ab altero praeriperetur, ex his, quae relicta sunt ecclesiae vel monasterio, in quo quis se condi voluit, pars certa, illi Parochiae, in qua defunctus, cum viueret, sacramentis vti consueverat, tribueretur, diuersis decretis constituit ⁶³). Clericorum ordo, his sic feliciter gestis, ad alia progressus, sepulturarum saecula, vt ritus, cantiones, preces, conciones et sermones, missas pro animarum salute habendas et si qua alia sunt, quorum pars, gentibus licet visitata, cum sensus hominum externos valde moueret, ipsis Christianis non indigna imitatione est visa, in usum et consuetudinem deduxere, ita vt sepulturae fere totius cura ad Parochorum officia pertineret.

⁶⁰) Cap. 9. x. de sepult. c. 42. X. de Simonia

⁶¹) v. Mandat d. anno 1715. v. C. G. Hommel. l. 1. et Chr. C. Brikner disp. de sepultura gratis concedenda Ien.

Eckardt ad Schilteri iust. Lib. II. tit. 14. §. 12. no. 56.

⁶²) C. 7. X. de consecrat. eccl. c. 3. X. de sepult.

⁶³) v. C. 1. et 4. X. de sepult. t. tit. de sepultur. in 6to t. id. Clem.

De ipsis vero coemeteriis, plurimorum seculorum vsu non interrupto conseruatis, sintne prudentur introducta in respublicas Christianorum, an ius Romanum cui libet in loco suo priuato sepulchrorum exstructionem concedens, praestet, si quaeratur, auctoritati Summorum Virorum instituta Romanorum a praeceptis Politices plane aliena, requietiorum autem vsuum cum vniuersae reipublicae tum singulis ciuibus salutarem existimantium vt libenter cedam, me facile adduci patior. Qua quidem de re, si iudicium rectum ferri debet, valeant, quas suppeditat ius pontificiale, rationes, cum dormitoria illa sancta et religiosa ideo censet, quia de templi consecrati, prope quod sunt constituta, sanctitate particula quaedam ad ipsa transeat ⁶⁴⁾ et adspersione aquae lustralis ab Episcopo facta ab hominum vsu profano plane illa esse exempta, affirmat. Sed, solis relucentis splendore disiecta caligine, qui oculorum aciem ita perstringi patitur, vt dolum non aduertat, nemo amplius est.

Dormitorium itaque apud nos pro publicis ⁶⁵⁾ locis vel rebus vniuersitatis habendorum vsus, quamquam errori, superstitioni et Clericorum fallaciis originem debeat, cum reipublicae conducatur et magnum sanitatis publicae praesidium praebet, retinendus et sepulturae priuatae apud Romanos receptae anteposendus videtur.

Quemadmodum enim in quacunq[ue] republica bene constituta, pernicietate et malorum instrumenta, quibus vel hominum recta valetudo in periculum vocatur, vel rerum ad vitam bene beateque degendam facientium praestantia et copia imminuitur, summo studio auerti et amoueri dabent, ita etiam priuata sepultura vt reipublicae perniciosa et noxia non retinenda fuit. Quodsi enim cui libet sepulchri in proprio loco erigendi facultas liberrima pateret et nemo locum suum religiosum facere prohiberetur, cum nimis multi agri frugibus ferendis aptissimi hominum vsui subtraherentur et aeternis salubritati ex neglecta sepulchrorum iusta profunditate et cada-

64) C. 19. C. 13. qu. 2.

65) S. Stryk ad Schilt. p. 239. et ad

Brunnem. Ius Eccles. p. 348. Böhmner in iure Eccles. Protest. et ad Schilt. p. 278

uerum prope domicilia hominum sepulcorum exhalationibus periculi multum crearetur, damnosum illud fore reipublicae sanitatis cura augendae, quilibet, vel me non monente intelligit. In qua sententia *Platonem* iam fuisse, ex ipsis de legibus libris et *Cicerone* ⁶⁶⁾ scimus, quem vetasse constat, *ex agro culto eoque qui coli possit, vllam partem sumi sepulchro, sed quae natura agri tantummodo efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur: quae autem terra fruges ferre et vt mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neue viuus, neue mortuus.*

Cuius sententiae quam prudens sit consilium, nemo non intelligit, qui pristinorum institutorum Romae hoc in genere obtinentium memoriam recolens, quot agri ad frumenti messes laetissimas ferendas maxime idonei, religione occupati, humani iuris esse desuerint et fructuum partem, non exiguam illam, hominibus subtraxerint, secum cogitauerit. Deinde vt omittam quaestionum illarum de religiosarum rerum iure apud veteres agitatarum et infinitae litis ansam praebentium varietatem, nos, vt communia sepulcrarum loca, si bene fuerint constituta, apud nos feliciter recepta laudemus, hoc vnum permouere potest, quod, corporum per humanam incuriam et legum vtilissimarum contemptum propius ad aedes humatorum pestifera exhalatio ex tot locis promanans aeris salubritatem esset corruptura. Quae mala coemeteriis constitutis et ab hominum frequentia remotis, cum, sublata omni putredinis materia aer a contagionis periculo liberatur, plane exulant. Quemadmodum igitur Germaniae vniuerse ita etiam SAXONIAE nostrae receptis illis dormitoriis optime est consultum. Apud nos enim variis rescriptis et mandatis sepulturae extra ecclesias et coemeteriorum ambitum valde sunt prohibitae et modus in sepeliendo obseruandus atque ratio coemeteriorum erigendorum et muniendorum ⁶⁷⁾ bene constituta. Sed quae nunc expo-

66) Cicero de legg. lib. 2. Plato de legg. lib. 12.

67) Huc pertinet Mandatum regium d.

d. 21. Sep. 1705. in Cod. Aug. P. I. p. 865. et Ioh. Georg. I. Reser. d. d. 22. Mart.

1634. P. I. Cod Aug. .p. 859. Mand. d. d.

sita sunt quamquam in laudem et commendationem nostri moris, quo defunctus in locis publicis et ab aede, cuius moenia plerumque ambiunt *Kirchhöfe* in sermone nostro vocatis solemus humare, dicta esse videantur, ea tamen nec possunt referri vniuersae ad omnia coemeteria nostra nec ad sepulturas in templis, quae apud nos frequentantur. Nostro quidem tempore quo discessum est a maiorum superstitione, cum coemeteria sacrificatio-
 ne ab Episcopo aqua lustrali ⁶⁸⁾ peragenda sacra fieri credebantur, etsi reuera sint et habeantur illa pro publicis locis, principis et ecclesiastici iudicis auctoritate constituendis, et, cum qui dulciorem quietem in loco basilicae proximo fore sibi persuadeat, nemo facile inueniatur: tamen nescio, quo pacto euenit, vt non solum infinitam illam in templis sepulturae honorem consequendi cupiditatem non abiecerimus et coemeteria proxime ad hominum aedes constituta adhuc patiamur, sed etiam quosdam, qui forte an cum viuerent animo erant prauo et ad delinquendum procliui, perinde ac si sancta terra labis aliquid et impuritatis inde contraheret et sepulchrorum honestas a templi vicinitate penderet, ad coemeteriorum muros in loco separato vel extra abiciamus. Nostri deinde hac aetate gentilium et Pontificiorum morem secuti, non solum cum alicuius mors palam a concionatoribus nunciatur, sed etiam cum cadauer arca tectum iam terra iniecta obruitur, precantur vt Deus corpori extincto dulcem quietem largiatur. (*Gott gebe dem Körper in der Erde eine sanfte Ruhe* ⁶⁹⁾). Omnis tum cognitio de sepulturis, quas ratio ad *πο- λιτείας* curam pertinere docet, apud nos est ludicrum ecclesia-

16. Nov. 1600. T. I. 848. Man. Sen. Eccles.
 d. 30. Sept. 1729. Ord. Eccles. Sax. Ant.
 General. 15. §. auf daß auch T. r. C. C.
 p. 791. Decret. Synod. § Nicht weniger v.
 etiam *Knistner* ad Deylingii Institutiones
 Prud. Past. p. 700. *Berger Oecon.* iur. p.
 154. seq. edit. nov.

68) C. 7. X. de consec. eccles.

69) Graeci saepe sic. *κούφα σοί χθών*
ἐπιανο πεσειε. *Euripidis Alceste* Act. 2. Sc.
 2. seu *κούφη γῆ τῶτον καλόπτοι.* Roma-
 ni: molliter ossa cubent, seu, sic tibi terra
 levis *Ouid.* *Trist.* 3. eleg. 3. v. 57. seu,
 vt *Iuuenal.* *Dii* vrabris leuem et sine pon-
 ere terram etc.

ficorum quasi propria. Sed quod in multis aliis nostri iuris capitibus obtinere videmus, vt pontificalium legum reliquiae passim lateant et sua vi et auctoritate non destituantur, (quamquam contempsimus Pontifices) idem de hac sepulchrorum communium causa non inepte dici posse videtur. In rebus enim publicis, quemadmodum causae sanitatem publicam impediunt, licet animaduersione a viris prudentibus et patriae suae amantibus, ab iis, quorum interest, subditorum salutem illaesa seruari, vel plane non vel non funditus remouentur, ita obstacula sanitatis animorum, si ita loqui licet, tantum abest, vt semper tollantur vt successu temporis saepe nouas vires capiant. Cuius rei exemplorum maxima est frequentia. Quibus etiam non inepte adnumeraueris ius Pontificium, cuius quidem, etsi minor creditur esse auctoritas, magna tamen in usu rerum deprehenditur, atque talis, vt animorum valetudo maximo offeratur periculo. Quamquam enim iam Lutherus, 70) cum animaduerberat, Iuris Pontificii impietate Principum maiestatem violari, ciuium felicitatem imminui, omnium animos errorum et superstitionis periculo obici et rationis diuinae rectum usum eoerteri et impediri, leges illas palam incenderit, scriptis editis consilii rationem curate exposuerit, et, qui suae saluti consultum esse vellent, vt a regno Pontificio sibi cauerent, vehementer admonuerit, serior tamen aetas SVMMI VIRI vestigia premere noluit et coepta perficere, sed paucis solum, quae aperte nocerent et saluti publica perniciose deprehenderentur, repudiatis, plurima ex iure peregrino iam a maioribus nostris publice contempto retinuit. Lutherus quidem cum iam multa perfecisset, plurima intacta posterorum prudentiae perficienda reliquit. Quomodo enim in tanta omnium rerum et publicarum et priuatarum peruersitate omnes omnino abusus vno ictu ab ipso tolli vel in tanta temporum barbarie vno quasi intuitu optima quaeque cerni ab eo

70) v. Sleidanus de statu religionis sub Caro. Io. V. Imp. p. m. 45. editionis quae 1555. arg. prodit.

et peragi potuerunt? Saepe autem, sicut recte docet *I. F. Cleemann*,⁷¹⁾ reiecta sunt principia, retentae conclusiones, illa quamquam sint reprobata, hae tamen vsu quotidiano conseruantur. Primum quidem sepultura in templis, e superstitione orta, a legum pontificalium conditoribus callido sed improbo consilio propagata et stabilita, ad nostram vsque aetatem in vsu permansit. *Thomasius*, qui, vt eius laudes breuiter comprehendam, libere atque ingenue seculi sui vitia et errores carpsit, cui haec aetas, si quid profecit in litterarum disciplinis aut si qua eius est vera felicitas in animis a superstitionis vinculo solutis posita, id maximam partem debet, *Thomasius* igitur sicut saepe Principum iura parum cognita demonstrauerat, ita idem⁷²⁾ fecit in sepulturae sollemnibus, et maxime id egit vt euinceret, sepulturam in templis, iuri rationis contrariam iura aliorum perfecta laedere, sanitati publicae obesse et augere clericorum auaritiam, haec et similia lucri et quaestus causa facientium: iam enim apud nos rem eo esse perductam, vt nemo nisi clerico praesente vitam nec intrare nec relinquere posset. Cuius vestigia, multi hoc seculo extiterunt et doctrina, auctoritate et vsu rerum praestantes viri, qui sequerentur et illum morem tanquam absurdum et humanitatis, prudentiae ciuilis et iustitiae legibus plane aduersarium damnarent. *Ipsius*⁷³⁾ quidem sepulturae in templis origines indignae et progressus iam satis ab aliis sunt enarrati. Deinde etsi nozarum ex ipsius vsu ad viuentes transeuntium varietas et multitudo a Philosophis et iuristudiosis demonstrata, ac ab artis medicae cultoribus ita sit probata, vt, quin illius rei indignitatem sentiat et penitus intelligat, nemo reperiatur⁷⁴⁾: tamen nostro tempore

71) *I. T. Cleemann* diss. de aduentu iuris Canonici in Germaniam Lips. 1773. §. 7.

72) *Thomasius* diss. l. et in iurispr. diuina et ad Puffendorf de habitu religionis ip. 62.

73) v. l. *H. Böhm* l. r. C. Ch. de *VVinkler* in diss. l. de iure sepulturae in templis §. 3.

74) vid. *Kittelius* apud *Gundling* in obsil. laudatus in libro, qui hunc titulum habet, de antiquo funerum ritu. *Anonymi* Schrift und. Naturmaessiges Bedenken über die Begräbnisse der Abgestorbenen, welche

non pauci, alii iure patronatus innixi, alii, maxime ex rerum sacrarum ministris, muneris dignitate confisi eo arrogantiae et superbiae procedere solent, *ut non pone focarios* (sunt *Gundlingii* verba *seruos sutoresque a vermibus corrodi sed in aedibus diuino cultui destinatis eorum pabulum fieri velint*. Animi scilicet domicilium discerpi nolunt, nisi inter viuorum preces et instrumentorum suaues concentus, et ita, obliui viuentium, inter quos morborum semina per exhalationes mephiticas et suffocantes ex cadauerum putredine copiose et subtiliter prodeuntis dispergunt, felicissimi sibi videntur. Reperit tamen, quid enim est, quod non reperiatur, etiam sepultura in templis, suos defensores. Inter quos, ut omittam multos iuris Canonici Interpretes, *Strykius* ^{74a}), *Vir Ill. Chr. Gottl. Hommel* ^{74b}), et *C. G. de Winkler* *Vir post fata adhuc omnibus venerandus l. l. qui cautione adhibita, illum morem non improbandum censent*. Sin autem, id quod *Thomafius* ni fallor probauit, iniusta est illa humatio in templis, quam ratione, si cautionem adhibueris, iusta illa possit fieri, equidem non intelligo. Et quae est illa cautio, quae id, quod iuri aduersatur, iustum fieri et quae noxae inde oriuntur plane euitari possint. *Winkler* *Vir Summus l. l. media via incedendum suadens, ex variis rationibus retinendam sepulturam in templis, sed ne mala inde oriunda nimis noceant, remediis*

man in die Kirchen und Bethauefer zu begraben pflegt.

v. *Löber* de sepultura in templis. Ien. 1710. 4. *Leyfer* ad ff. spec. 129. med. 5. seq.

E. G. Bossi progr. causae sanitatem publ. impediētes. Lips. 1783. 4.

Huc facere videntur *Ant. Wilh. Plaxii* dissertationes de removendis et amolendis sanitatis publicae impedimentis Lips. 1771. eiusdem d. de mortuis curandis ibid. 1770. Porro *I. Eliae Heisteri* d. med. de Principum cura circa sanitatem subditorum in-

fert. *Schlegelii* Collect. opusc. select. ad medicinam forens. spectant. Vol. III. Lips. 1788. Lectu digna tradit. *Perill. Petr. Car. Guil. L. B. de Hohenthal* in egregio libro de Politia. Lips. 1776. 8.

74) v. *S. Stryk* in vsu moderno lib. XI. tit. 2. § 17.

74) b. *C. Gb. Hommel* in Principiis Iuris Eccl. Prot. p. 326. *Iung. Ziegler* l. 1. *Carpeov* Consist. lib. 2. dis. 289. n. 10. et 11.

Bastineller diss. de iure sepulturarum. Viteb. 1736.

quibusdam adhibitis cauendum cenſet. Aëris enim, cum ea ſit indoles, vt in locis anguſtis, vbi perflatus ventorum et motus intercipitur, denſatus et reſpirationi parum idoneus efficiatur, quid dicendum de illis aedibus, quae non ſolum non patent ventilando aëri, ſed quotidie multorum etiam hominum exhalationibus replentur et cuius aër crasſus et deprauatus, putreſcentium cadauerum particulis ex ſepulchris promanantibus quouis die magis vitiatuſ? Quacunque cautione et cura vtaris, certe illa vana et inutilis erit. Quid autem? Eſtne hoc munus hominis vere docti ſapientis et ciuium ſaluti conſulentis, veritate ſuppreſſa, opinionum falſitatem et errorum varietatem in hominum animis alere, augere et confirmare. Vſu enim ſepulturarum in templis deſenſo, fraudes defenduntur, errori conſeruando ſuccurritur, veritas contemta abiicitur. Deinde deſperare, ſi vitiorum quorundam labes hominum animos commaculauerit, de eorum ſalute recuperanda, et, quando ſanitatis remedia in promptu ſunt, vt leuiora fiant mala et minus periculofa, tantum cauere, cum ea funditus delere poſſis, non eſt ſapientis. Reprehendendi ſunt medici, qui in morbis grauioribus, adhibita curatione temporaria, ſemina malorum in corpore latere patiuntur. Legibus 75) igitur omnis omnino ſepultura in aedibus ſacris interdicens videtur, quae res noſtro ſeculo digna eſt, vbi tot ac tanta felicitatis vti publicae ſic priuatae impedimenta ſunt remota et tam inſignis Principum cura poſita animaduertitur in conſeruanda et augenda cum animorum tum corporum ſanitate. Iura vero Patronorum, quae apud plurimas eccleſias a multis inde ſeculis obtinuere, quod in eccleſiis ſepulchrum ſibi aedificandum curare poſſunt, licet multo vſu et longa et Germaniae vniuerſali conſuetudine confirmata et legum beneficiis munita, tolli atque deleri et debere et poſſe, eo certius eſt, quo plures extiterunt et doctrina et aequitatis amore conſpicui viri, qui,

75) Leges ciuiles renocari in vſum, optauit iam *Brummemann* ad leg. 2. C. de religioſis.

privilegia, quorum usus frequentia civium salus in periculum incurrit, cum forte magna est verosimilitudo inde oritur mali, aut aliorum quae amittuntur, bonorum praestantia, legum aliarum exemplo, temporibus moribusque mutatis mutatarum, abrogari Principum auctoritate posse, docerent. Haec enim beneficia singulis indulta, cum leges⁷⁶⁾, alteri, si inde iniuria immineat, servari prohibent, qua ratione in tot ac tantis omnium civium periculis revocari posse negemus? Accedit, quod eorum malae origines, temporum antiquorum barbariei condonandae quidem sed nostrae aetatis observatione non sunt muniendae, Salus enim publica, si suprema debet esse lex, cuius obtinendae non alia patet via, quam si, felicitatis publicae scopulis declinatis, praesidia ad bene beateque viuendum a Principis benignitate larga et benefica manu offerantur, illa beneficia singulis concessa, ne vitae aliorum diutius noceatur, tanquam perniciosa, a principibus debere euerti certum est. Deinde quod Superintendentes et ceteri sacrorum antistites atque pastores, ubi receptum est, eodem quo patroni iure in multis locis gaudent⁷⁷⁾ illud iisdem eo facilius adimi poterit, quo certius speramus, neminem ex illis fore, qui, cum vius institutione, exemplo, auctoritate et consilio aliis quam maxime prodesse concupiuerit, post fata demum suprema suis civibus noxae esse et eorum sanitatem in discrimen vocare velit. Illud vero, quod quibuscunque honoratioribus hucusque licuit⁷⁸⁾ consentientibus Superintendente Patrono et Consistorio, nec non nummo dato (cuius maxima semper fuit vis et efficacia in hominum rebus) sepeliendorum opibus et dignitati consentaneo, mortuos inferre in templa, cum sit res mali exempli, hac aetatis nostrae luce prorsus indigna atque hodie in ceteris rebus eorum, qui de re publica bene meruerunt, dignitati, nunquam autem eorum fu-

67) L. 2. §. 10. 16. D. ne quid in loco publ.

77) Can. 18. C. 13. qu. 2. I. H. Böhmert de iure erigendi coemet. §. 20.

78) v. Rescrip. d. anno 1634. et 1637 n. Cod. Aug. T. 1. p. 855 et 59.

Mandat Sen. Eccles. d. 13. Febr. 1729. Carpzov, def. conf. 391.

v. Winkler diss. altera §. 10 et ibi. II. Doct.

perbiae et fastui pretium et honos habeatur, qui vndique corra-
 fis opibus elati tument, non amplius ferri debet. Auro enim et
 argento templa inaccesſa eſſe debent. Sed, quae vitia hominum
 mentes penitus occupatas tenent, ea quamquam ad ciuitatis in-
 felicitatem pertineant, ſi fuerint altius infixae et impreſſae, non
 extemplo et vno quaſi ictu exterminare poteris. Animorum
 enim quadam praeparatione opus eſt. In mentium morbis cu-
 randis, maxime illis, qui religionis colore ſunt exornati, medi-
 corum mos imitandus eſt, qui in morborum et vulnerum maxi-
 mis periculis, lenia primum et dolores ſopientia remedia adhi-
 bent, deinde ſi opus, grauioribus medicamentis morbo eradi-
 cando aduerſis vtuntur. Nam inconſulto et ſine conſilio repente
 ad vrendum ſecandumque properare, dementis eſt. Abolitio
 vero ſepulchrorum in templis, non latet me, quam magni ſit ope-
 ris et plane ardui. Difficultates autem, quod primum iura quae-
 ſita quibusdam adimantur et homines ſepulchrorum familiarium
 et hereditariorum in templis poſſeſſores, dominio ſuo priuentur
 ſit neceſſe et deinde eccleſiae euictio rerum venditarum et nunc
 vſu interditarum metuenda et piis cauſis, eccleſiis ſc. lucrum
 non contemnendum abſuturum ſit, tum quod aeraria ad loca,
 quae omnes homines, cum, qui iam viuunt, tum qui poſtea naſ-
 centur, capiant, ampliffima ſane coemenda vix ſufficiant, et agro-
 rum cultorum domini vel inuiti eorum partem tradere ſint co-
 gendi, hae igitur difficultates *Winklero τὸ μαναγίον* tantae ſunt
 viſae, vt de felici ſuſcepti a pluribus conſilii exitu deſperandum
 eſſe exiſtimaret. Sed aliud mihi ſedet. Primum enim, ſi, quae
 ſupra iam de reuocandis priuilegiis reipublicae pernicioſis diſſeru-
 imus in mentem reuocare et ſimul cogitare volueris, non vanam
 eſſe ſpem in poſſeſſorum priuilegii illius humanitate et patriae cari-
 tate poſitam, fore vt eorum plurimi, ſuperſtitione depoſita, iuri-
 bus ex illa deriuatis cedant, aut fallor aut primum impedimentum
 et alterum ponderis multum amiſere. Illorum enim dominorum
 nonnulli, ſiue parentum diſciplina, ſiue felicitate quadam inge-
 nii rectam viam iam ſunt ſecuti: et qui iam conſuetudinis et moris
 vitio tenentur, edocti hanc rem per ipſos Clericos, rationis viam mox

ingressuros arbitror. Sed hac in re sacerdotum studiis opus est. Quae quidem non defore, eo certius persuasum habemus, quo magis scimus, illorum muneris proprium esse, opiniones peruersas et errores in hominum animis delere illosque non praeceptis solum et oratione sed exemplis et vita ad patriae amorem bene factis declarandum excitare. Nostros enim homines haut decet, imitari Pontificiorum mores, quicquid aliud molientium, ne lucellum paruum hominum saluti tribuant. Sed apud nos, quis est, quin Dei iustum cultum in vitae integritate ponendum censeat, in officiis deinde Principi, Patriae, civibus et humano generi debitis religiosissime colendis, et in eo, vt communes utilitates in medium afferamus et ad vitae societatem studii multum et operae conferamus? quae quidem praecepta, si a sacerdotibus diligenter et cum cura quadam inculcata fuerint, Patronos et ceteros quibus licet, suorum corpora in templa inferre, vt communi utilitati inferuiant, libenter obtemperaturos Principum voluntati et salutis publicae tuendae gratia aliquid de iure suo esse remissuros, certo confido. De lucro deinceps, piis causis cessaturo ne cum *PERSIO*, *at vos dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?* quaeram, cum ex illis multae, quas diuitiis affluere videmus, hac lucri indignitate facile carere, et quae sunt indotatae, damni sui reparationem honestiori via petere possunt, non est quod multum queramus. Winklerus tum quod de aerariis dixit et de necessaria venditione agrorum culturae aptorum, de hac re non satis mirari potui. Quid enim? Cum non sit rarum eorum genus, qui aut necessitate coacti, aut lucri spe inuitati fundos venales offerant, num verendum esse existimemus, ne, si quando fundo ad coemeteria erigenda fuerit opus, tum demum, qui aerario fundum suum vendat, nemo reperiat? in tanta venditorum multitudine, quid vi et coactione opus est? Sed, quaeris, vnde ad agros coemendos copiae? in promptu sunt. Nam, cum cuilibet ciuitati, et oppidulo quid? quod omnifere pago, rarissimis licet tuguriolis occupato, fundi quidem, vel ad vniuersitatis res vel ad eiusdem patrimonium pertinentes, competant, non opus esse puto aerariorum saepius in fortunae angustiis con-

flitutorum exhaustione. Illi vero fundi vel pecori pascendo vel alii rei destinati, quorum vsus, qui sunt de ciuitate vel pago, omnibus patet, a non paucis harum rerum non imperitis ita inutiles sunt iudicati, vt quidam, qui huic malo medelam afferre volebant, ne tot vtilissimi agri aptiori et meliori culturae subtraherentur diutius, auctores fuerint, vt quicquid est fundi communis, illud ex rerum communium numero eximeretur. Quam ob rem iidem vtiliter et, si quid video, apte in coemeteria conuerti et commutari possent. Quod quidem consilium, aerariorum inopiae non solum non graue sed etiam dormitoriorum extra vrbes constituendorum facillimum modum ostendens, vtrum reipublicae conducat et nemini iniuriam afferat, aliis iudicandum a me relinquitur. Sed de hac re plura non dabo. Iam enim satis mihi demonstrasse videor, difficultates illas, quibuscum prohibitio sepulturae in templis et aliis locis propius ad hominum aedes constitutis est coniuncta, non esse ex earum numero, quas si prudenter processeris, sine aliorum iniuria non superare possis. Quod vt crederem, illud etiam effecit, quod magnam aetatis nostrae esse felicitatem intelligerem, dum nostrorum hominum plurimi depositis erroribus a proavis hereditario quasi iure ad ipsos delatis, sapientiorum consilia et operam in eradicandis falsis opinionibus positam, bene excipiunt et cum scientiae cognitionisque cupiditate rationem melius beatiusque viuendi sequidiscunt.

Quae vero hactenus a me sunt disputata, ea non hoc consilio scripsisse videri cupio, vt patriae, qua mihi nihil est carius, mores et instituta reprehenderem, sed ideo, vt, quod cuilibet bono ciui licet et saepe ab aliis me cum eruditione tum ingenio praestantibus factum est, idem ego, salva, quam legibus debeo, reuerentia, facerem et animaduersis et notatis, quae communem ciuium salutem impedire viderentur, ad communem vtilitatem aliquid afferrem. Leges nostras de sepultura praecipientes plane nihil accuso. Nam, si ab istis discessero, quae tum, cum omnes Pontificem Romanum adorabant et cum raro quis caput proferre audebat, sunt conditae, quam sapienter et ad omnium vtilitatem praecipunt illae de iusta sepulchrorum profunditate, de sepeliendi modo, de coemeteriis septo cingendis et muniendis, de rituum in funere

modo et ratione, de sepulturae tempore, sumptibus minuendis, et abolenda exequiarum magnificentia, de luctu nimio a defunctorum iure remouendo et vestitu lugubri, denique de nulla dignitatis, natalium et fortunarum in loco sepulchri concedendo ratione habenda, et de egenorum corporibus gratis sepeliendis. 79)

Atque ita quidem videmur nobis id, quod exponere volebamus, clare satis demonstratum dedisse, quid Romanis placuerit de locis sepulturae destinatis et quibus ex causis mortuos in vrbe sepelire vetuerint et quomodo sensim hominum superstitio et clericorum auaritia a Romanorum laudabilibus institutis discesserit ita, vt hodie plane alio iure vtamur et tandem quontopere vt, per legem ciuilem reuocatam, sanitatis publicae impedimentum amoueat, cuique, cui ciuium salus curae cordique est, sit optandum. Sed quonia[m] a consilio quod suscepi non alienum videtur, quid sentiam de iusta ratione coemeteriorum constituendorum et de nostrorum more, quorundam punitorum cadauera, denegata humatione, in patibulis suspensa relinquendi, donec putredine soluta delabantur, illud significare, aliquid etiam de hac re dicendum est. Ac primum quidem, cum inter omnes constet, vt sepulchra ab hominum domiciliis remoueantur, id esse ad sanitatem publicam aptissimum; quilibet intelligit, coemeteria non nisi in illis locis esse erigenda, quae procul absunt ab aedibus et hominum frequentia, et quae aeri ventilando et ventorum quotidiano statui satis patent. Quae si ita teneantur, omnes illae noxae plane euitabuntur. Nunc vero, si qua superstitio hominum requiem reliquiarum prope aedem desiderauerit et inuita tantum ab errore se auelli patiatur, ea sicut institutione idonea eorum quorum est, hominum mentes cognitione rerum ad bene viuendum necessaria-

79) v. Decret. Synod. Rev. a. 1624. §. 43. in Cod. Aug. T. I. p. 832.

Ord. Eccl. Sax. Art. gen. 15. §. Auf dafs auch.

Decret Synod. § Mit Bestattung § damit.

Refc. vom 2ten Aug. 1709. C. A. p. 883. v. etiam Cod. Aug. T. I. p. 890.

Refcr. ad Consistorium d. 14. Febr. 1750.

Mandar zu Abstellung der übermäßigen Trauer d. 1739. et eius declaratorium d. 1750.

Ord. Polit. d. 1661. tit. 6. p. I. Cod. Aug. p. 1583. vt alias id genus leges omittam.

inbuere, minuetur, ita temporis longinquitate et usu contrariò prorsus delebitur. Deinde, cum illam etiam opinionem constat esse superstitionem, qua, ut quisque proxime abest ab ipsa aede, ita dignissimum sepulturae locum consecutus esse existimatur, et contra remotiores loci vel ad coemeteriorum marginem constituti indigni habentur hominum bonorum reliquiis recipiendis: sequitur inde, hoc errore abiecto, defunctorum corpora ex eadem scilicet humo olim efficta et in pari dignitate et aequali constituta, in eodem coemeterio, nulla diuitiarum, honorum, opinionis in rebus fidei vel vitae antea actae ratione habita, sine locorum discrimine, terrae omnium almae matri esse reddenda. Iuris enim Canonici principiis repudiatis, effectus eius iidem repudientur, necesse est. Quae enim nunc ratio probabilis posset reddi, qua adducti alia cadauera omni honoris et contumeliae sensu priuata, loci honestioris praemio ornanda, alia inhonestioris quasi poena afficienda existimaremus? Sed, ut, quod res est, dicam, non mihi temperare possum, quin confitear, quae vulgo humana audit sepultura et quam iamdudum Thomasio⁸⁰⁾ improbatam fuisse dico, eam rationibus parum aptis inniti, a clericorum,⁸¹⁾ potestatem suam quouis modo augere cupientium, fraudibus originem duxisse et non solum inutilem sed iniustam adeo mihi videri. Quod igitur ab illorum temporum nebulis, (hac aetatis nostrae luce dispellendis) ubi Pontifex mentium sub iugum missarum, imperium tenuit, ad nostram vsque memoriam, secus sentientium

80) C. Thomas diss. an haeresis sit crimen infert. eiusd. diss. acad. T. II. n. 37. et. n. 35. Hal. 1774. Idem diss. de iure Principis circa haereticos.

81) v. c. 13. X. de haeret. c. 12. X. de sepult.

82) *Beccariae* (in lib. de delictis et eorum poenis ed. Ulm. 1767. p. m. 156) de iniustitia poenarum in suicidas constituta dicenti, notatur illius primus nescio quis sic responder.

„Ich glaube, das dasjenige was mit einem

vorfaetzlichen Selbstmörder an seinem Koerper vorgenommen wird, mehr aus gerechten Unwillen über dieses schwere Verbrechen eines Theils geschehe, andern Theils aber andern zu erkennen zu geben, das derjenige, welcher sich gewaltfamer weise der Gesellschaft vor der Zeit entziehet nicht würdig sey jene Ruhe zu genieffen, die ein jeder Bürger nach seinem Hintritt in Ansehung seines erblasten Leibes zu genieffen hat etc. quibus rem omnem haut scio an inepte concessisse sibi videtur.“

in rebus fidei et, quibus, non vocato antea sacerdote, ex hac vita discedere placuit 82) deinde capite truncatorum, quando post mortem poenae ex asperatio non accesserit 83) et aliorum, quos vide fis apud Bastinellerum et Hommelium 84) cadauera in honestae sepul- turaeignominia solita sint affici, id condonandum quidem seculorum illorum infelicitati, nostra vero aetate, qua id, quod per poenas petitur, res ita est nota, qualem nullam scimus, indignum esse videtur. Qua quidem de re, legibus Romanis plane ignota 85), quid sit sentiendum etsi a multis iam sit traditum, tamen haut scio an quis dissentientium et qui vsum receptum defendunt, ar- gumentis infirmatis, sententiam de suicidis inhumano more non sepeliendis maiori vi et argumentorum pondere defenderit, quam post Klüpfelium 86) Auctor libelli Lips. 1792. de nece sui ipsiusediti. Qui enim mortem ipsi sibi consciuerunt, illos, negauerunt iidem, hu- manae iurisdictioni esse subiectos et cum nemo, cuius iniuriarum 87) vlttricem poenam efflagitent, adfit, cadauer immeritis poenas luere, quae etiam tantum abest vt alios a simili in sua viscera reuocent saeuitia, vt nihil efficiant et cognatos infelices et nihil mali pro- meritos premant. Ipsum vero malum, ne latius serpat, poe- narum rigore haut effici, sed aliis plane remediis debere caueri. Ego quidem quoties in eam cogitationem inciderem, quale sit omnis poenae consilium et quam ob causam reipublicae interfit facinorosos ab iniuriis ciuibus inferendis arceri, nostrarum ciui- tatum instituta et exempla intuens, cum poenas infligi viderem, quarum rigore, quod vult ciuitas plane non potest consequi, non potui non intelligere male nobiscum iam esse actum. Omnis

82) Qua tandem ratione poenam viuo et quid secum agatur sententi in ferendam, post puniti mortem asperiozem reddere possis, equidem non intelligo.

84) v. Bastineller diss. laud. C. III. §. 2. C. G. Hommel l. 1, p. 322. v. etiam C. D. Erhard Viri Illustris Handbuch des Chrif- peinl. Rechts. p. 22.

85) l. 9. §. 7. de pecul. l. 3. D. de Non. eorum qui. l. 1. C. eod. l. 6. §. 7

π. de inj. irrito etc. l. 38. §. 12. eod. de poenis. l. 6. §. 7. de re milit. l. 4. §. 6. 12. de iure fisci. l. 11. ff. de his qui nor. inf. 86) Klüpfel über den Selbstmord Ger. 1790. 8. Uiber den Selbstmord. Leipz. 1792. 8. bey Crusius

87) Testimonium Romanis denunciare possent, quos nihil poenis coercuisse scio, quam iniuriam aliorum corpori bonis et existimationi illatam

enim poena cum reipublicae conseruandae et tuendae gratia et si fieri potest, emendandi rei causa sumatur, qua, qui non est nec vbi sit, intelligitur, eius reliquiae afficiuntur, eam vix recte poenam vocaueris. Bruta quidem, non omni dolorum sensu destituta, si quando pauperiem contra naturam fecerint, qui poenis castigare velit nemo sane est. Hominis autem iam dudum absentis relictos cineres poenas dare posse, videmur credere. Caius quidam de receptae religionis veritate dubitans, qui, cum in vita esset a suo Principe, eos solos, qui Dei colendi rationem sibi probatam sequuntur, tueri volente, patria quod non negauerim, potuit prohiberi: mortuus, quum longe auolauit, nec quidquam sui reliquit, ne potest quidem poenae subiici. Tu enim num Caii cineres, Caium diceres? illi certo hoc nomine non magis vocari possunt quam singulae rotulae dispersae nomine horologii. Vtriusque enim natura quae coniunctis inter se partibus et nexis constabat, iis disiectis, eadem ipsa est dissoluta. Caii igitur corpus, quanquam relictum reperiatur, cum leges non potuit violare, in poenarum pericula incidere nequit, et si posset, cum nihil sentit, inutilis poena omnis efficeretur? Sed quemadmodum in rerum vsu multa alia exempla rerum ad cognitionem diuinam pertinentium temere ad forum humanum tractarum occurrunt, ita idem dixeris de eorum facto, qui vi sibi illata non vocati de statione sua discedunt, quod non sine iniuria humanitatis, a superstitione et quae amicissimo cum illa vinculo est coniuncta ignorantia, olim iurisdictioni humanae subiectum est. Mihi itaque omnium vita defunctorum corpora in pari dignitate constituta esse existimanti, si semel diuina naturae pars animus ab humo, cui infixus sedebat separatus insupremas abierit auras, illa locorum in coemeteriis differentia abroganda videtur. Tum quemadmodum non male praecipunt, qui negant ab artificum ingenio et manu mortis imaginem tetram et talem, quae terrorem et formidinem moueat, esse effingendam ita etiam antiquarum gentium 88) qua-

88) *Genesius* l. I. p. 55. p. 68. p. 127. seq.

rum quibusdam legimus sepulchra in locis arboribus vel superstructis vel circumpositis ornatis placuisse et nostrarum ciuitatum, quarum quasdam idem fecisse gaudeo, instituta laude et imitatione digna iudico. Me vero vt ita sentirem, quamquam non illud impulit, quod hoc arborum circumplantarum ornatu officia quaedam defunctorum religioni praestanda arbitrarer, tamen cum sperarem, fore, vt haec iucunda arborum et florum sepimentum non parum valeant ad delendas in hominum animis litterarum beneficio non excultis opiniones praeoccupatas, quarum vitio multi coemeteria ingredienti horrore perfunduntur, ita statuendum censui. Coemeteria igitur ad hortorum similitudinem facta, si amoenitate quadam praetereuntes vel intrantes allicerent, nonne quotidie a magna hominum multitudine iri frequentatum diceres, qui simul admonerentur, quo nihil esse potest vtilius, se esse homines ea lege natos vt, cum non solos, qui securam quietem nouerunt, sed etiam, quos multis gloria terris tradidit et omnes fama per vrbes laudauit, vna excipiat vrna, vitae humanae breuitatem recte factorum gloria compensandam putent. Coemeteriis vero huiusmodi erigendis, quamquam variae difficultates superandae sint oppositae, nam, vt verbis *Gedikii* ab *Eckio* laudatis⁸⁹⁾ vtar, *der Kampf gegen Gewohnheiten, Eitelkeiten und religiöse Vorurtheile, die hier verbunden streiten, ist schwerer als Hercules Kampf gegen die hundertköpfige Hydra*; tamen in rebus ad omnium vtilitatem et vt patriae prosis susceptis, vt quisque maiorem curam, contentionem et laborem adhibuerit, ita suavior et iucundior recte factorum conscientia et maior gloria eum sequentur⁹⁰⁾ Superest vt dispiciamus, annon fortasse quorundam cadauera non solum loco quodam in coemeteriis, sed omni prorsus humatione poenae nomine priuanda sint? Quod argumentum, cum ea, de qua disputauimus, causa coniunctum paucis illustrare eo magis mihi licebit, quo certius scio, leges

89) *Excell. Eck* progr. 1. p. 8

90) Optime idem *Gedike* eod. 1. Die Ausführung hat ihre Schwierigkeiten, aber Heil

und Seegen dem, der wo es auf Leben und Gesundheit seiner Mitbürger ankömmt, sich durch keine Schwierigkeiten abschrecken läßt.

nostras, quamquam quosdam ⁹¹⁾ sicut vilioris conditionis homines in pugna priuata occisos et qui rota aut laqueo sunt puniti aliosque quosdam in patibulo suspensos aut rotae innexos horrendum viatoribus spectaculum! putrescere inhumatos iubeant, nemini ob hanc causam de huiusrei consilio et ratione disputare simul vetuisse. Ac primum quidem, antiquis iam gentibus et ex his Graecis et Romanis sepulturae denegationem, qua maxime, quorum memoriam damnauerant et infames puniebant, placuisse, non potest negari. ⁹²⁾ Eisdem vero gentes de honesta post mortem corporis sepultura et memoria apud suos diligentius conseruanda, multum cogitasse, iam supra me dicere memini. Qui vero delicto atrocissimo hostilis in rempublicam animi et patriae prodicionis sese polluerant, eorum nulla remaneret in animis hominum recordatio, sicut ab omni luctu ita a sepultura prohibere solebant. Quod quamquam ita apud Graecos et Romanos obtinuisse ex multis veterum locis a *Wollio* et aliis iam excitatis potest ostendi, illos tamen eo processisse non memini, vt infames et damnatos ad vias publicas in cruce aut furca suspensos putredini resoluendos dederint. Hebraeos etiam, humatione nulli denegata, laqueo suspensos eodem mortis die sepeliuisse multa sacrorum librorum loca docent ⁹³⁾ Itemque Romanorum humanitatem, qua leuiorum criminum damnatos propter vtilitatem publicam sepulturae tradi non vetuerunt, ciuiles leges testatam faciunt. ⁹⁴⁾ Sed maiores nostri quod Pontificii iuris auctoritate permoti, quosdam facinorosos et ex his fures etiam in furca putrescere sint passi et nos eodem iure vtamur, illud iam *Strykio* ⁹⁵⁾ displicuisse video (at post, non paucis) qui eum

91) v. Reinh. *Sabine* disp. de sepulturae denegatione recus. Jen. 1737. et quos excitauit *Koch* in *Inst. iur. crim.* p. m. 449. *Corpus* Pract. crim. qu. 13. no. 34. sqq.

92) v. C. G. de *Winkler* de voluntariae mortis prohibitione et poenis p. 15. Lips. 1775. *Pfeifer* ant. Graecae p. m. 769. *C. I. Wolle* diff. 1. de memoria damnata p. 34. sqq. Lips. 1776.

93) Deut. 21. v. 23. Ios. 10. v. 27. v. *Grotius* de iure bell. et pacis Lib. 2. cap. 19. §. 4.

94) t. t. D. de cadav. punitt. l. 2. C. de relig. J. 43. n. eod. tit.

95) *Stryck* disp. Vol. 3. disp. 16. c. 5. no. 42.

morem non ab humanitate solum alienum, sed etiam reipublicae perniciosum abrogandum duxit. *Tam enim inquit rotae et patibula sufficiunt ad homines a malo deterrendos et non opus est ut hac ratione aer corrumpatur et praetereuntibus inprimis mulieribus grauidis terror iniiciatur.* In huius autem partes eo lubentius transeo, quo firmitus habeo persuasum, hac publica damnatorum suspensione non solum raro sed plane nunquam, quod leges volunt effici, Aspera sane poena! confiteor, delictorum damnatos non tantum viuos per cruciatuum vehementiam viam sibi ad mortem praesentem parare debere, sed eorum etiam corpora exanimia et omni malorum sensu carentia contumeliae publice opponi nec eo dignari honore qui vt defunctis habeatur, natura ipsa nos docuisse videtur! Cui enim arridere posset eorum ratio, qui non indignius putant cadauere humano pasci aues et quadrupedes quam humo tegi illud. Recte quis quaerere posset cum ILL. CAESARE ⁹⁶⁾ an, quo poenae sunt asperiores, eo etiam aptiores erunt ad ciuium animos legum reuerentia imbuendos et a delictis deterrendos? Homines certo ad lenitatem et societatis amorem nati, ad iustitiam colendam et leges seruandas lenioribus remediis adducendi sunt et adfuescendi, quam quibus in bestiarum feritate opus est, cruciatuum terrore et poenarum acerbitate. Apud nos enim quamquam non facile oppidulum praeterieris, quin intra eius fines, furcam aut rotam ad vias ple- rumque erectam adspicias, scilicet vt viatorum quilibet supplicii rigore territus delicta abominare discat, tamen, legum et ciuiliu institutorum tuendorum amorem in hominum mentes dolorum sensu acerbo, cruciatuum metu et tormentorum adspectu infillari non posse, imo, qui legum sanctitatem violarent, nullo tempore plures fuisse repertos, quam, cum patibula repleta vix punitorum cadauera caperent, experientia et praeteriti temporis memoria satis docuit. Omitto, quod haec denegatae humationis poena sicut, cum ne hilum quidem ad defunctum pertineat, inuutilis et nullius

96) C. A. Caesar Praeceptor meus infontibus calamitosa, fontibus fauorabilis aeternum colendus in diss. reprehensa tortuta, Lipsi. 1770. 4.

efficaciae deprehenditur, ita etiam iniusta esse videtur. Omnis enim poena, quam iustam dixeris, non debet ceteris extra culpam constitutis, grauis fieri, sed ad eum solum, quem leges violasse constat, pertinere. Quodsi autem puniti et vitae beneficio, quo certo nullum est maius, priuati cadauer omnium contumelias oppositum, aspectu foedum in publico loco suspendendum curamus, nonne dicendum, ignominiae partem aliquam, quae cum poena coniuncta sit necesse est, ad eos redire, qui eiusdem cum punito sunt gentis, familiae, nominis? Quae cum ita sint, et eorum vita, qui ex suis vnum in patibulo suspensum non sine doloris acerbitate adspicere coguntur, infelix sit habenda, poenas non eum dare, qui deliquit, quippe nihil sentientem, sed eos qui omni culpa et probro vacant, in aprico est. Deinde, quoniam in quacunq[ue] republica bene constituta scelerosi soli et noxii poenis et dolorum sensu sunt affiendi, quo tandem iure dixeris illis horrorem iniici et dolores dari, qui, cum furcas humana corpora affixa tenentes praetergrediuntur, non nisi moerore adfecti, et spectaculi foeditate territi abire possunt? Quis enim est omnis humanitatis tam expertus, quem talia spectantem non misereat humanae sortis, quam tantae contumeliae oppositam videt, vt quod ne in bestiis quidem leges permittunt, earum cadauera iacere infepulta, illud homini accidat? Mihi quidem, si quod sentio eloqui licet, sicut iniuste agere existimatur, qui, a quo offensas metuit, occupandi illius causa molestias prior illi parat, ita etiam ciuitas, ciues, qui forsitan nocere possunt, ante doloribus afficiens, quam crimen commissum, iustitiae munera deferere videtur. Certe vt homines iustitiae colendae adfuesiant, imitanda sunt Graecorum, Romanorum et nostrorum maiorum instituta, apud quos pueri leges breues et perspicuas tamquam carmen addiscere et patriae amorem cum lacte imbibere solebant, et vbi cura educationis prudenter instituendae maxime ad rem publicam pertinere putabatur. Quare illos scimus in summa legum paucitate magno patriam amore esse profecutos, et omnibus qui eam conseruauerint, auxerint, adiuuerint, certum esse in coelo et definitum locum putauisse. Felices sane gentes,

G

quibus flagitiosi non cum bonorum doloribus et molestiis a vitiis videbantur reuocandi, et qui, cum intelligerent, in ciuium animis indignationem nescio quam et diffidentiam excitari, si tantum abesse, vt boni et iusti, vt semper improbi et peruersi habeantur, sentiant, mores mature fingere et legum colendarum studium aetati tenerae infundere studebant. Iudicum igitur nostrorum et qui reipublicae praefunt, vti quisque patriae et veritatis amore et studio vtilitatis publicae promouendae maxime excellit, ita diligentissime, maiorum vestigiis in haerens, **PRINCIPIS NOSTRI OPTIMI** voluntati, in lege illa generali ad causas criminales pertinente de anno 1783. §. vlt., grauius declaratae, vt satisfaciat hoc maximopere est optandum. Illud vero institutum non ab humanitate solum esse alienum et nullius efficaciae, sed iustitiae adeo praeceptis aduersari, satis offensum esse puto. Itaque iam videmur nobis, quod sentiremus de Romanorum et nostrorum ciuium institutis in eligendis et constituendis sepulchrorum locis non obscure significasse. Amplior et vberior rerum ad sepulturas pertinentium disputatio angustis libelli academici finibus haut accommodata, alio tempore est suscipienda.

Kd 661

ULB Halle
006 372 341


3




VDI B

nc







HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM
AD
SEPVLTVRAS PERTINENTIVM
ADIVNCTA EARVM COMPARATIONE
CVM PATRIIS INSTITVTIS
SPECIMEN PRIMVM

AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

DIE XXX IVLII A. C. CIOCCCLXXXIII

H. L. Q. C.

DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTHELF HÜBNER

PHILOSOPHIAE DOCTOR. ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS VTRIVS-
QVE BACCALAVREVS

ADSVMTO SOCIO

BENIAMIN TRAVGOTT HÜBNER

IVRIS STUDIOSO

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.